

Alte Drucke

**HISTORIA AVGVSTANÆ || CONFESSIONIS, || continens ||
SERIEM VARIA=||RVM DELIBERATIO=||NVM ET ACTORVM IN
CAV-||SA RELIGIONIS, EO TEMPORE, || QVO ...**

Chyträus, David

Francoforti ad Moenum, 1578/1579

VD16 ZV 30715

**ACTA CVM CINGLIANIS, ANNO M. D. XXIX. MARPVRGAE, ET M. D. XXX.
AVGVSTAE.**

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149583

ACTA CVM CING-
LIANIS, ANNO M. D. XXIX.

M A R P V R G A E, E T

M. D. XXX. A V G V-

S T A E.



M. D. LXXVIII.

I 5

ACTIO.

A. T. A. G. M. C. P. N. G.
J. A. N. S. A. N. O. M. D. X. X. I.
D. E. C. A. T. I. O. N. E. M.
M. D. C. C. L. X. X. I.

A. T. A. G. M. C. P. N. G.
J. A. N. S. A. N. O. M. D. X. X. I.

M. D. C. C. L. X. X. I.

M. D. C. C. L. X. X. I.

ACTIONES
DE CONCORDIA CVM
CINGLIANIS,

A LVTHERO DE COENA
DOMINI, DISSENTIENTIBVS CON-
CILIANDA: IN COMITIIS AVGVSTANIS,
ANNO M. D. XXX. ET PAVLO ANTE, MARPVRGÆ,

Anno M. D. XXIX. susceptæ: quarum suprà in serie

Actorum mentio facta

est.



Illustriſſimus Princeps Philippus, Landgravius
Halsiæ, vt paucis menſibus ante Comitia, pio ſtu-
dio & zelo veritatis & pacis in Eccleſia reſtitu-
endæ inter D. Martinum Lutherum, Philippum,
Brentium, ab vna, & Ioannem Oecolampadium, Cinglium,
Bucerum, ab altera parte, qui de Coena Domini proximis
annis, magna cum piorum offenſione, publicis ſcriptis
dimicarant, Marpurgæ Colloquium inſtituit: ita tum quo-
que in Comitijs Auguſtanis, apud noſtros vrgere non de-
ſtitit: vt Cinglio coniuncti Doctores, Bucerus, Capito,
Blarerus, &c. Auguſtæ præſentes, poſthabita diſſimili-
tudine opinionum de Coena Domini, nihilominus velut
eiſdem fidei & confeſſionis ſocij, aduerſus pontificios, à
noſtris, pro eiſdem Eccleſiæ membris & fratribus recipe-
rentur.

Cum

Cùm autem Epistolæ Philippi & Brentij, in quibus, piè his postulatis se assentiri non posse, respondent, multò antè editæ sint: Ego etiam, à bonis & pijs quibusdam admonitus, non vt dissidia & odia, quorum acerbicatem leniri & mitigari iamdudum omnes pij optant, renouem vel alam, sed vt instituta series actorum de Religione in Comitijs anni M. D. XXX. integrè & incorrupta contexta extet: simul inferendas esse hoc in loco duxi.

Primùm autem Marpurgensis Colloquij, ex quo præfens disputatio de Fraternitate originem traxit, summam breuem, sicut à Philippo Melanthane composita, & in Tomis Lutheri expressa est: vnà cum literis Lutheri ad Landgrauium de eodem Colloquio agentibus recitabo.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. PHILIPPO,
LANDGRAVIO HASSIAE, COMITI IN
Catzenelnbogen, Dietz, Ziegenhein & Nidda,
Domino clementissimo.

MARTINVS LVTHERVS.



Illustissime Princeps, Domine clementissime. Celsitudinis Vestrae literas & postulata clementissima, ut Marpurgum ad Colloquium cum Oecolampadio & ipsius socijs, de controuersia Coenae Domini habendum veniam, si fortè pacem ac concordiam Deus hac ratione largiri vellet, reuerenter accepi. Etsi autem exiguam spem pacis futurae foneo, tamen Cels. Vest. diligentia & sollicitudo in hac causa, summopere laudanda est. Ego etiam meo loco perditam hanc & fortasse etiam nobis periculosam operam, Cels. Vest. studiosè præstabo, ac, quò Cels. Vest. volet & petet, me non grauatè conferam. Deo enim iuuante nolim aduersæ parti hanc laudem verè concedere, quòd pacis & concordiae studiosiores, quàm ego, essent.

Meas verò cogitationes de hoc negotio Cels. Vest. statim disertè & expressè exponere volo: ac oro, ut Cels. Vest. clementer cogitet & exploret, an aduersa pars etiam de sua sententia aliquantum cedere parata sit, ne mali huius exitus deterior fiat, & planè contrarium illius eueniat, quod Cels. Vestr. tanto studio & zelo iam consecratur. Quid enim iuaret conuenire & colloqui, si vtraque pars hoc proposito venit, quòd nihil omninò cedere velit?

Mihi hoc agere aduersarij videntur, ut postea gloriari contra nos possint, per se non stetisse, quò minus concordia fieret, cum tantum Principem ad hanc causam tractandam permouerint. Ita sub Cels. Vest. nomine nos traducere & accusare, tanquam hostes pacis & veritatis, se verò eximie ornare, cupiunt. Noui has Diaboli technas: atque utinam hinc non sum Propheta.

Si

Si enim non simulatè & insidiosè, sed seriò pacem quarent: nihil hac magnifica & ad ostentationem composita ratione, per magnos & potentes Principes hanc rem agendi, indigent. Nos enim, Dei beneficio, non adeo feri & inhumani sumus, quin suis literis modestiam & studium pacis suum, de quo gloriantur, iam dudum nobis significare potuerint.

Ego verò hoc bene scio, me illis prorsus non cessurum esse, nec possum cedere, cum in conscientia mea certus sim, eos errare, & insuper ipsos de sua sententia incertos esse. Omnia enim illorum fundamenta in hac causa satis cognoui: ac ipsi vicissim mea fundamenta viderunt.

Quare reuerenter C. V. oro, vt C. V. propter Deum diligenter consideret, magis ne profutura hæc actio vel obfutura sit. Certum enim est, si nihil cedent, nos frustra conuenturos, & reinfesta discessuros, & C. V. oleum & operam perituram esse. Nec illi gloriationes suas hæctenus illis vsitatas intermittere poterunt, & nos immeritò accusabunt, vt de nouo ipsis cogamur respondere. Ita dereriora omnia fient, quàm nunc sunt. Hoc vult & querit Sathan.

Quòd autem C. V. sollicita est, ne ex hac dissensione tandem bellum & sanguinis effusio sequatur: tamen quidquid horum sequetur, quod Deus auertat, scit C. V. nos innocentes esse, Deus etiam innocentiam nostram in lucem proferet. Si Spiritus ille factiosus bellum accendit, naturæ suæ instinctum sequitur: sicut in Francisco Siccingense, Carolo stadio, Muntzero, antea declarauit. Quo tempore nos tamen Dei beneficio immunes à sanguine, aduersarij autem nostri rei & nocentes manserunt.

Hæc scripsi, vt C. V. mea parata & gratificandi cupida officia, (tametsi cum exigua spe alius profectus coniuncta) declararem. Nam C. V. omnia subiecti animi studia & officia me debere profiteor. Christus Dominus conterat Sathanam sub suis &

omnium nostrum pedibus, Amen, Amen. Datæ

Vuitebergæ, 23. Iulij, Anno

1529.

SVM

SVMMA COLLOQVII
DE COENA DOMI
NI, MARPVRGAE HABI
TI, SCRIPTA A
PHILIPPO MELAN
THONE.



Illustriſſimus Princeps, Landgravius Haſſiæ, hos, quo
rum adſcripta ſunt nomina, vocavit, vt Marpurgæ ad
diem Michaëlis, Anno 1529. comparerent, & de Sa
cramento corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu
Chriſti vnà colloquerentur.

Venerunt igitur Marpurgam primi Oecolampadius, Cin
glius, Bucerus & Hedio: Deinde D. Martinus Lutherus, Iuſtus Io
nas, Phil. Melanthon: Poſtremò Andr. Oſiander Noriberga, Ioan
nes Brentius ex Salinis, & Stephanus Agricola Auguſta.

Poſtquam D. Martinus Lutherus venit, Landgravius ſeriò
mandauit, vt D. Lutherus cum Oecolampadio ſolo, & Cinglius
cum Philippo etiam ſolo colloquerentur.

Iuxta hoc mandatum hi vnà contulerunt: ac D. Lutherus
Oecolampadio multos articulos propoſuit, de quibus partim
non rectè ſenſiſſet ac ſcripſiſſet, partim occaſionem rumoribus
præbuiſſet, vt plures inde & maiores errores ſecuturos eſſe me
tuatur.

De talibus articulis Philippus etiam cum Cinglio egit, hiſ
ce videlicet: Cinglium non rectè ſcripſiſſe de morbo originis,
quòd non ſit peccatum, & quòd baptiſmus non ad id proſit, vt
peccatum originis infantibus remittatur: Item de Cœna Domi
ni, quòd corpus & ſanguis Chriſti non verè ſint in Sacramento:
Item de vſu verbi & Sacramentorum, non docere eos, quòd ver
bum & Sacramenta inſtituta ſint, vt per ea Spiritus ſanctus no
bis detur.

Qua opinione recepta, miniſterium verbi & Sacramento
rum in Eccleſia facilè extingui poſſe. Fertur item, quòſdam illo
rum non rectè ſentire de diuinitate Chriſti.

Ad hæc

Ad hæc Cinglius respondit, primùm de diuinitate Christi, se semper sensisse, & adhuc sentire, Christum verum Deum & hominem esse: & alioquin de toto articulo Trinitatis se sentire, sicut Synodus Nicena docuerit: Nec ad se pertinere, si qui in superiori Germania incommodè locuti sint. Indicabat etiã Hetzerum Anabaptistam, qui Constantiæ supplicio affectus est, contra diuinitatem Christi librum scripsisse, quem ipse (Cinglius) oppresserit, ne in lucem prodiret.

De cæteris articulis, videlicet de peccato originis, Item, quòd Spiritus sanctus non detur per verbum & Sacramenta: multum disputatum est, sicut res magni momenti sunt, in quibus Cinglius libenter à suis scriptis discessit. Deinde conferebatur de articulo Sacramenti Cœnæ Domini, de quo Cinglij & Oecolampadij argumenta in publica colloquutione audita sunt. Cùm enim de hoc articulo priuatim non conuenisset: voluit Illustrissimus Princeps Hassiæ, vt in suæ Celsitudinis & aliquot consiliariorum præsentia de eo ageretur.

Inchoato igitur publico colloquio, indicabat Lutherus, necessitatem flagitare, vt de tota summa Christianæ doctrinæ cum illis ageretur: Nam in Cinglij scriptis multos errores inueniri: Præterea parùm eos de iustificatione docuisse, vt appareat, propriam Euangelij doctrinam ipsis parum notam esse. Deinde protestabatur Lutherus, se scire, quòd de Sacramento rectè scripserit, ac velle se in eo, quod scripsisset, permanere. Quòd si Oecolampadius & Cinglius aliquid contra veritatem se proponere posse existimarent, id se audire velle & refutare.

Ad ea respondit Cinglius, conuentum hunc non ideò institutum esse, vt de cæteris articulis conferretur, sed tantùm de Sacramento, de quo si conueniret, velle se etiam de alijs causis colloqui. Ita articulus de Sacramento solus propositus est, ac tria præcipuè argumenta tractata sunt.

Primum, Ioan. 6. Christum dixisse, Caro non prodest quidquam. Ideo non existimandum esse, in Sacramento carnem Christi præsentem esse, quia carnalis manducatio nihil profit.

Hoc argumentum Lutherus ita refutauit, quòd verba, Caro non prodest quidquam, non de Christi carne intelligēda sint, quia

quia prius dixit carnem suam viuificare: sed de carne sine Spiritu. Ideò addere Christum, Spiritus est qui viuificat, vt ostendat, nostram carnem nihil prodesse, non intelligere ea quæ sunt Spiritus Dei. Alioquin horrendum auditu fore, Christi carnem nihil prodesse.

Deinde, etiam si concederetur, Christum de sua carne dixisse, caro non prodest quidquam: tamen Cinglianos non posse confirmationem suæ opinionis de Sacramento inde extorqueri: Non enim asserunt hæc verba, Christi corpus non esse in Sacramento. Sed etiam si concedatur, ea de Christi carne accipi debere, tamen ita intelligi posse, Christi carnem non prodesse ijs, qui non credunt: sicut Augustinus etiam hæc verba interpretatur. Nam Christi sententia est, carnem sine Spiritu nihil prodesse. Ideò addit, Spiritus est qui viuificat.

Alterum argumentum Philosophicum, ex ratione ductum erat: Vnum corpus non posse simul in diuersis locis esse: Sed corpus Christi esse in cœlo &c.

De hoc argumento longa rixa fuit. Lutherus aiebat rationem humanam non debere nec posse omnipotentiam Dei iudicare. Cinglius dicebat, Deum non proponere nobis talia credenda, quæ prorsus comprehendi non possint.

Tales ineptæ voces ei excidebant, cum tamen doctrina Christiana multos incompræhensibiliores & sublimiores articulos habeat, videlicet, quòd Deus homo factus sit, quòd hæc persona, Christus, qui verus Deus est, mortuus sit.

Dicebat etiam Cinglius, quomodo res tantæ per malos sacerdotes confici possent, vt Christi corpus eò perueniret.

Ad id Lutherus clarè respondit, non ex sacerdotis merito, sed Christi ordinatione illud fieri: Quia Christus mandauerit, ideò fieri: Ita etiam de efficacia verbi & sacramenti esse sentiendum: Et Donatistarum errorem esse, quòd Sacramenta non sint efficacia, quæ à malis sacerdotibus administrantur. Ad hæc nihil tum Cinglius replicauit.

f

Tertium

Tertium Argumentum vrgebat Oecolampadius. Sacramenta sunt signa, ideò intelligendum est, ea aliquid significare. Ideo hîc etiam sentiendum est corpus Christi tantummodò significari, non præsens adesse.

Ad hoc argumentum respondebatur, verè dici, Sacramenta esse signa: Sed nos eis non alias significationes præter eas, quas Christus ipse tradidit, assignere, nec aliter ea interpretari debemus. Item, quod Sacramenta sunt signa, id præcipuè ita intelligendum est, quod annexas promissiones significant. Vt: Circumcisio præcipuè verbum significat à Deo ritui illi annexum, quod Deus propitius esse velit. Ac si quis aliam significationem querere vellet, videlicet quòd circumcisio mortificationem carnis denotet, inutilis hæc significatio futura est, si altera principalis significatio promissionis negligatur. Ideo non temere significationes fingendæ sunt, sed videndum, quomodo verbum Dei se ipsum interpretetur.

Postremò multa dicta Patrum lecta sunt, per quæ Cinglius & Oecolampadius se victoriam in sua causa obtenturos esse, sperabant. Erant autem generalia dicta, quorum pleraque nihil de Sacramento loquebantur: vt, corpus necessario in loco esse, & spacium certum occupare: item, quòd Christus verum corpus habeat. Aduersus ista, Illustrissimo Principi Hassiæ multa illustria dicta ex Patribus exhibita sunt, quæ docent, verum corpus & sanguinem Christi in Cœna Domini adesse.

Hæc summa est colloquij breuissimè comprehensa. Lutherus in sua sententia perstitit, verum corpus & sanguinem Christi in Cœna adesse. Aduersa autem pars à sua opinione discedere noluit.

Petebant autem vt Lutherus eos pro fratribus reciperet. Huic postulato D. Martinus nullo modo consentire voluit: Grauius etiam eos allocutus est, dicens, vehementer se mirari, quomodo ipsum fratris loco habere possint, si modo doctrinam suam veram esse serio sentiant: Sed hoc indicio esse, quòd non

existiment etiam ipsi, multum in hac causa situm esse.

Sed tamen, vt maiora dissidia & turbæ auerterentur, visum est, articulos aliquot consignandos esse, qui typis editi sunt.

In articulis illis Cinglius & Oecolampadius libenter in cæteris omnibus Lutheri sententiam secuti sunt: De Sacramento tantum sequi noluerunt.

Nimis enim longè progressi sunt in hac causa, vt difficulter gradum reuocare possint. Spes tamen est, eos in hac etiam parte cessuros esse, si potestas aliqua vias idoneas suscipiat. Quod Deus gratia sua fortunare dignetur.

De sequentibus articulis Marpurgæ conuenit inter eos, qui nomina sua subscripserunt, Die 3. Octobris,
Anno 1529.

Primùm. Quòd vtrunque vnanimiter credimus & sentimus vnicum esse verum, naturalem Deum, conditorem omnium creaturarum, vnum in essentia ac natura, trinum in personis, videlicet Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, prorsus sicut in concilio Niceno decretum est, & in Symbolo Niceno passim in tota Ecclesia Christiana canitur & legitur.

Secundò. Credimus, non Patrem, nec Spiritum sanctum, sed Filium Dei Patris, verum Deum, hominem factum esse, per operationem Spiritus sancti, sine virili semine, natum ex pura virgine Maria secundum carnem, perfectum corpore & anima, similem alijs hominibus, sine omni peccato.

Tertiò. Quòd hic Dei & Mariæ Filius, indiuisa persona, Iesus Christus, pro nobis crucifixus, mortuus & sepultus sit, resurrexerit ex mortuis, ascenderit in cælum, sedeat ad dexteram Dei, Dominus omnium creaturarum, venturus ad iudicandum viuos & mortuos.

Quartò. Credimus peccatum originis ab Adamo in nos carnali generatione propagatum, tale peccatum esse, quod omnes homines condemnet, & nisi CHRISTVS nobis opem sua

f 2

morte

morte & vita tulisset, æterna morte nobis in eo moriendum fuisset, neque vnquam in regnum Dei & beatitudinem æternam peruenire potuiffemus.

Quintò. Credimus nos à peccato originis & omnibus alijs peccatis & ab æterna morte redimi & liberari, cùm in Filium Dei IESVM CHRISTVM pro nobis mortuum credimus: nec sine hac fide, per vllum opus vel ordinem &c. ab vllis peccatis liberari posse.

Sextò. Quòd hæc fides sit donum Dei, quod nullis præcedentibus operibus aut meritis impetremus, nec proprijs viribus consequi nunc possimus. Sed Spiritus sanctus, vbi vult, dat & efficit fidem in nostris cordibus, cùm Euangelion seu verbum Christi audimus.

Septimò. Quòd hæc Fides sit nostra iustitia coram Deo, propter quam nos Deus iustos, probos & sanctos reputet, sine vllis operibus & meritis, & per hanc fidem nos à peccato, morte, inferno liberet, in gratiam recipiat, & saluet propter Filium suum, in quem credimus, & hac fide omnium beneficiorum, iustitiæ & vitæ CHRISTI participes reddamur. Quare totus monachus & vota, cùm prodesse ad salutem existimantur, damnata sunt.

Octauò. Quòd Spiritus sanctus, de via ordinaria loquendo, nemini hanc fidem & donum suum largiatur, nisi præcedente concione seu verbo vocali, seu Euangelio Christi: Sed per & cum verbo vocali operatur & efficit fidem, vbi & in quibus ipsi visum est. Rom. 10.

Nonò. Quòd baptismus sit Sacramentum ad hanc fidem (efficiendam & obsignandam) à Deo institutum. Et quia mandatum Dei, Ite, baptizate, & promissio Dei, Qui crediderit, baptismo includitur: non nudum signum aut nota & tessera professionis Christianæ, sed signum & opus Dei est, in quo fides nostra requiritur, per quam regeneramur.

Decimò. Quòd hæc fides, per efficaciam Spiritus sancti, postquam

postquam per eam iustificati & sanctificati sumus, bona opera per nos operetur, videlicet dilectionem proximi, inuocationem Dei & patientiam in cruce.

Vndecimò. Quòd Confessio seu petitio consilij (& absolutionis) apud Pastorem vel proximum suum, etsi non coacta, sed libera esse debeat, tamen valdè utilis (& experienda) sit moris & afflictis, vel in peccata aut errorem lapsis conscientijs, præcipuè propter absolutionem seu consolationem Euangelij, quæ vera absolutio est.

Duodecimò. Quòd Magistratus, leges civiles, iudicia & ordinationes politicæ, vbicunque sunt, bonus & legitimus ordo sint, nec prohibiti sint, sicut aliqui Papistæ & Anabaptistæ sentiunt & docent: Sed quòd Christianus, qui ad Magistratum vocatur vel nascitur, benè, per fidem CHRISTI saluari possit: Sicut ordo coniugalis, patris & matris, domini & matrisfamilias, &c.

Decimotertiò. Traditiones, quæ sic nominantur, seu ordinationes Ecclesiasticæ, ab hominibus factæ, si non pugnent contra manifestum verbum Dei, liberè seruari vel omitti possunt, prout homines sunt, cum quibus versamur, ita vt scandala non necessaria vitemus, & paci seruiamus. Et quòd prohibitio coniugij sacerdotum, sit doctrina Dæmoniorum.

Decimoquartò. Credimus & sentimus omnes de Cœna DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, quòd vtraque specie, iuxta institutionem, vtendum sit: Quòd Missa non sit opus, quo alter alteri, defuncto aut viuenti, gratiam impetret: Quòd Sacramentum altaris sit Sacramentum veri corporis & sanguinis IESV CHRISTI, & quòd spiritualis manducatio huius corporis & sanguinis, vnicuique Christiano præcipuè necessària sit.

Similiter de vsu Sacramenti consentimus, quòd sicut, verbum,

bum, à Deo traditum & ordinatum sit, vt infirmas conscientias ad fidem & dilectionem excitet per Spiritum sanctum.

Etsi autem, an verum corpus & sanguis Christi corporaliter in pane & vino Cœnæ Domini præsens sit, hoc tempore non concordauimus, tamen vna pars alteri Christianam dilectionem, quantum cuiusque conscientia feret, declarabit, & vtraque pars Deum omnipotentem diligenter orabit, vt nos Spiritu suo in vera sententia confirmet, Amen.

Martinus Luthernus.

Philippus Melanthon.

Iustus Ionas.

Andreas Osiander.

Ioannes Brentius.

Stephanus Agricola.

Ioannes Oecolampadius.

Vlricus Cinglius.

Martinus Bucerus.

Casparus Hedio.

Postquam

Postquam igitur in Colloquio Marpurgensi D. Lutherus Cinglium, Oecolampadium, Bucerum, & eorum socios, propterea, quod in articulo de vera & essentiali praesentia corporis & sanguinis Christi in Coena Domini, diuersum à sententia sua docerent, pro fratribus agnoscere & recipere noluit: Landgravius tamen, & alij boni & pacis ac concordiae cupidi, non destiterunt in eo elaborare, vt dissensio illa de Coena Domini pie componi & leniri, & Christiana pax & Fraternitas inter vtramque partem constitui posset.

Quare in Comitij Augustanis, etiam ante exhibitam confessionem, Landgravius Habsiae scriptum quoddam de Fraternitate cum Cinglianis ineunda, Theologis Luthero coniunctis, Philippo Melanthoni & Ioanni Brentio exhiberi iussit: vt ad communem confessionis fidei subscriptionem Cingliani admitterentur.

De scripto illo, Philippus & Brentius Landgrauio sequentibus literis responderunt, quas, vt à Brentio ipso iamdudum editae & publicatae sunt, adiungo.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. PHILIPPO,
LANDGRAVIO HASSIAE &c. PHILIPPVS
MELANTHON, ET IOANNES

BRENTIVS.

Illustrissime Princeps, Domine clementissime, Scriptum de incunda cum Cinglianis fraternitate, nobis redditum, studio. sè, diligenterq; legimus: & C. V. humilimè oramus, vt nostrum responsum clementer accipiat.

Possumus enim Deum vocare testem, nos nullius hominis amore aut odio in hoc negocio duci. Nam dissensionem hanc incidisse ex animo dolemus: nec quidquam nobis in hac vita ad acerbissimi doloris sensum grauius potest accedere, quàm quòd in hac causa videmus multos incertis & falsis opinionibus applaudere, ex quibus maiores Ecclesiarum distractiones, & conscientiarum perturbationes sequuntur: per quas etiam, subinde ad alios errores, maiori cum periculo coniunctos homines delabuntur. Cuius rei iam multa exempla extant.

Quidam enim, qui initio duntaxat de Cœna allegorias in medium attulerant, iam easdem, in alijs articulis quærunt, nempe Campanus, Martinus Cellarius, Caroloostadius, Felinus. Præterea quiescere non possunt, sed assiduis practicis in eo laborant, vt perfectiones, & vim, si aliter non possint, errores suos tueantur & propagent: Vnde non solùm cruenta & horribilia bella, verùm etiam maiores distractiones in Ecclesia, & dissipationes Imperiorum, aliquot seculis, imò ad finem vsq; mundi vix refarciendæ, consequi possent. Deum immortalem, quàm triste spectaculum est, horrenda ista, vel tacitis duntaxat cogitationibus persequi.

Persuadeat ergò C. V. sibi de nobis, nos ita non his rebus delectari, vt seriò etiam perturbemur, nec (de quo fortasse suspecti quibusdam esse possumus) captandæ laudis gloriæq; casualiter contentionesq; mouere. Atq; ideo etiam humiliter Cels. V. oramus, vt responsum nostrum clementer audiat. Breuitati enim

enim studuimus, ne C. V. detineremus longius: Deinde, quòd nò iudicemus necessarium ad singula capita scripti nobis propositi respondere.

Initiò autem, quod ad Fraternitatem attinet, fortassis Christiani, qui aliquo errore impliciti sunt, nec tamen pertinaciter errorem defendunt, vt Fratres tolerari possunt, vt & ipse Seruator CHRISTVS discipulos suos tolerabat. At qui doctrinam falsam non modò introducunt in Ecclesiam, sed etiam defendunt, pro fratribus agnoscendi non sunt: nullo enim modo falsæ doctrinæ assentiendum est. Quare quæ in eo scripto, quod nobis redditum est, de tolerandis infirmis prolixè agitantur, de ijs demum infirmis intelligenda sunt, qui incerta dogmata sua non defendunt, sicut Paulus Galatas suscepit: & tamen de ijs, qui falsam doctrinam defendebant, dixit: Vtinam abscindantur, qui vos labefactant. Hæc nostra est de hac re simplex sententia, quam etiã speramus nos Deo approbaturus. Quomodo enim possumus cum aduersarijs fraternitatem inire, atque ita consentire, vt doctrinã suam velut veram & certam propugnent, cùm tamen conscientia nostra aliter sentiat & statuatur, nec per disputationes illorum certa reddi queat?

Bono fortassis animo candidoque, author huius scripti disputationem istam instituit: sed de Fide nimis frigide loquitur, quia nò magni referre putat, etiamsi in articulis aliquibus in Scriptura traditis erratur: nec necesse esse, vt certi simus de eo, quod credimus & docemus. At quando conscientia inter certum & incertum fluctuant, in iudicio Dei seueriori illo consistere nequeunt, sicut Paulus dicit: Quidquid non sit ex fide, peccatum esse. Magna ergò cura, diligentique rerum sacrarum experientia opus est, vt fides in seuerissimo illo iudicio firma immotaq; possit consistere.

Nec Articuli de Sacramentis, velut exigui momenti, parui pendendi sunt. Cùm enim tota Ecclesia quotidie in Sacramento rum administratione occupata sit: magnæ & tristes offensiones & scandala existunt, cùm in illis erratur. Sed facile coniecturam facere possumus, vnde noua hæc Theologia proficiscatur, quæ parum referre existimat, quicquid tandem in Ecclesia doceatur: ac Deo satisfactum esse iudicat, si primùm quidem otio paciq; frudeamus, deinde vitam virtutibus politicis vtcunque exornemus.

Sed si ea perfecta & absoluta ad benè beateq; viuendum ratio est, multi Philosophi Ethnici in numerum Christianorum erunt referendi. Nec de doctrina ex specie vitæ ciuilis, sed ex verbo Dei iudicandum est.

Quantum ad secundam partem attinet, de Concilio vrgēdo: Si ea ratione Casarea Maiestas in hoc conuentu procederet, sicut literæ Indictionis præseferunt, posset sanè pro Concilio agnosci. At, siue in Concilio, siue extra Concilium simus, officij nostri ratio flagitat, vt fidem nostram ingenuè profiteamur, nec alios impediamus, quò minùs doctrinam falsam prohibeant. Præterea diligenter cauendum est, ne nimia subtilitate, quæ tamen nihil habet certi, cursus doctrinæ veræ & certissimæ impediatur, quod sanè iam etiam aliqua ex parte fieri experimur. Videmus etiam Zuinglianos, non expectato decreto Concilij, Papistas & Anabaptistas persequi. Cur igitur alij iniuste facere iudicarentur, qui falsam ipsorum doctrinam, extra Concilium prohibent, præsertim cum ea prohibitione, vera & certa doctrina promoueatur, & pax conseruetur?

Postremò C.V. propter Deum obsecramus, ne in hoc magno & arduo negotio de Cœna Dominica patiatur se à verbis Institutionis, ad nescio quas allegorias abduci. Nam in ordinationibus diuinis, proprietas verborum retinenda est. Et quidem, si rationes, quibus Zuinglius mouetur, conscientijs ita satisfacerent, vt in iudicio Dei ijs niti possent, facilè nos quoque allegorias ipsius approbaremus: sed scimus non posse conscientias istis argumentis acquiescere. Manifestum autem est, horribiliter eos peccare, qui incertam doctrinam pro certa tueri volunt, eaq; ratione tetris distractionibus & bellis causam præbent. Nolumus enim C.V. celare, Zuinglianos, qui hîc sunt, magnificè se iactare, quòd pecunia & viris instructi sint, & quæ peregrinarum gentiû auxilia habeant, Item, qua ratione Episcopatus distribuere, & se in libertatem vindicare velint. Valdè autem miramur eos, qui tantopere alioquin de Christiana caritate gloriantur, talib; practicis sese dedere, in quibus parum Christianæ caritatis, obedientiæ & patientiæ animaduertitur: ac etiam si veram doctrinam tuerentur, talia tamen consilia, de quibus ipsi sese iactitant, nequaquam Christiana sunt, ex quibus horribilis Ecclesiarum & Politiarum

tiarum confusio secutura esset. Profectò in re tanta, posterorum
tamen ratio habenda esset, qui tali seditione excitata, nullam Ec-
clesiam aut Politiam tranquillam habituri sunt. Ad hæc omnia
metuimus etiam hoc ipsorum propositum, infelicem exitum tã-
dem habiturum esse. Oramus autem C. V. vt simplicem hanc no-
stram sententiam clementer accipiat. Nam Deus nobis testis est,
nos in hac re commodum nostrum nequaquam spectare, sed De-
um Opt. Max. ardentibus votis orare, vt Cel. V. ab erroribus & o-
mnibus malis custodiat. Videmus Diabolum horribilem Tragœ-
diam machinari. Quare cauendum est nobis, ne quid temerè aga-
mus. Hæc C. V. breuibus respondere voluimus. Quòd si harum
rerum explicationem copiosiore C. V. à nobis requirit, omni
diligentia & fide, vt nos debere fatemur, prolixius de re tota sen-
tentiam nostram exponemus. Deus Opt. Max. Cel. V. clementer
tueatur, Amen.

RESPONSIO LAND- GRAVII HAS-

SI AE.



Dilecte Brenti & Philippe. Literas vestras legi, & cle-
menter accepi. Quod autem initio scribitis, Campa-
num, Martinum Cellarium, & alios, suis opinionibus,
perniciosas sectas inuehere: valdè doleo. Credo
etiam Zuinglium & Oecolampadium non minùs,
quàm vos, dolere. Sed propter illorum opiniones non sunt alij
innocentes damnandi: Alioquin dici posset Lutherum etiam
multis malis causam præbuisse, sicut Papistæ palàm dicunt.

Quòd verò ad Scriptum, de Fraternitate cum Zuinglia-
nis ineunda (quod non alio quàm bono animo à me vobis mis-
sum existimabitis) breuiter respondetis: Non esse pro fratribus
agnoscendos, qui falsam doctrinam defendunt, & Pauli dictum
allegatis: nescio sanè an ex eo dicto confirmari possit, quod vos in
de deducitis. Iudico enim errorē illum de Circumcisione, rem lō-
gè diuersam esse à casu præsentis. Iudei. n. sentiebāt Circumcisionē
necessa-

necessariam esse ad salutem. Idè eos reprehendit Paulus, inquit, velim vt abscindantur; Non dicit, vos Diaboli estis, & non amplius tolerandi.

Præterea hæc de Sacramento dissensio, illi longè dissimilis est. Siquidem nos vnanimiter vnum Christum credimus & confitemur, & per hunc solum saluari intendimus. Illi etiam quos errare dicitis, verbum Dei in omnibus verum esse credunt. Tantū de intellectu verborum Cœnæ aliud sentiunt.

Itaque mihi videtur, cū in omnibus alijs articulis vobiscū consentiant, & Christum eadem ratione, qua vos, confiteantur: concedant etiam Christum in Cœna per fidem manducari, quæ manducatio ad salutem necessaria est: nec Omnipotentia laudem Deo adimant, sed iuxta analogiam fidei & secundum Scripturam sic intelligenda esse verba sentiant, vt ipsi intelligunt: Cumque Christus, quia clarificatum corpus habet, quo venter cibari nequit, vix aliter manducari possit, quàm à credentibus & per fidem: hæc, inquam, cū ita se habeant, mihi videtur sententia & responsio vestra (durior &) non necessaria esse. Spero etiam, Deo dante, vos diligentius cogituros, & rectiorem sententiam sequuturos esse.

Quod etiam si propter dogmatistas vobis non faciendum esse putaretis: tamen cæterorum etiam rationem habebitis, qui in vrbibus illis habitant, ac etiam si errarent, tamen pro errore illo non pertinaciter propugnant. Multi etiam in illis regionibus & vrbibus idem vobiscū sentientes viuunt. Iam si tota aliqua regio, propter hoc dogma cōdemnari, & bello opprimi deberet: communis calamitas, vobiscū consentientes & dissentientes inuolutura & oppressura esset.

Omnino autem spero, vos illius Spiritus filios esse, de quo Christus inquit: Filius hominis non venit, vt perderet, sed vt saluaret, cū discipuli ignem de cœlo descendere vellent, sicut fecerat Helias.

Neque opus est eos in hac ipsorum opinione à vobis defendi, sed tantū tolerari & erudiri, & tempestiuè ac intempestiuè moneri, vt Paulus inquit. Hoc autem officium eis debetur, vt in ea doctrina, quam vos ipsi rectam esse iudicatis, eos tueamini & propugnetis, non gladio, quod ad vestras personas attinet; Sed verbo, & vocis ac scriptorum testimonijs ad stipulantibus.

Scire

Scire etiam velim, an Lutherus VValdenses, qui eiusdem opinionis cum Cinglianis esse dicuntur, sicut autor Scripti vobis missi indicat, Fratres nominauerit.

Quòd autem autorem Scripti insimulatis, quasi de fidei articulis languidiùs sentiat: existimo fortasse vos ita sentire, quia ipsorum dogma odistis. Ego verò planè statuo, autorem non sentire, incerta & dubia credenda & docenda esse, aut operibus & disciplina externa in cœlum perueniri, vt Philosophi censent: sed hanc eius sententiam esse, vbi vera fides sit, ibi bona opera & mores honestos certò sequi. Cùm igitur aliqui veram fidem & opera habentes, quasdam Scripturæ partes non planè eodem modo intelligant: hos tolerandos & non abijciendos esse. Nam qui non contra nos est, pro nobis est: inquit Christus, Luc. 9.

Quod autem ad Concilium attinet: existimo omnibus nobis opus esse, ne inauditi condemnemur. Quòd si hæc Comitia Cōcilium esse debent, nullum simile vnquam fuisse arbitror. Ac si omnes, qui CHRISTVM confitemur, decretum præsentis in hac vrbe conuentus expectare debemus, & tum aliter credere vellemus: ego sanè nihil me vnquam in Scriptura legisse malim. Ego verò, iuuante Deo, id nequaquam faciam. Certò etiam confido, vos bonos & doctos viros, quos iam pro columnis nostris habeo, ad huius decreti normam, consilia & actiones vestras, non accommodaturos esse. Quòd verò fidem vestram confitemini, id nemo vobis vitio vertet, & pia, ingenua & vera confessio omni laude digna est.

Sed vi & armis prohiberi doctrinam, quæ nec articulum aliquem fidei abolet, nec seditiosa est, non iudico iustum esse: Et tamen erudiri cupio. Meæ sententiæ rationes tres sunt.

Prima. Quòd Christus inquit, Sinite zizania cum tritico crescere: Et Paulus, Quouis modo, siue per occasionem, siue sincerè, modò Christus prædicetur.

Secunda. Quòd Lutherus, cùm concionari & scribere cœpit, fideliter hortatus est & docuit Magistratum Politicum, non esse officij ipsius prohibere libros, aut conciones impedire: Quia Magistratui corporum solummodo & facultatum, non consciëntiæ & animarum gubernatio commendata sit.

Tertia. Quòd Cingliani, vt nominantur, nondum conuicti sunt,

sunt, vt errorem suum fateantur, aut quòd talis error sit, qui contra sublimem Maiestatem Dei pugnet.

Quòd verò Zuingliani Papistas persequi dicuntur: id nunc primùm audio: Tametsi abusus Pontificios ab eis abrogari, non iniquum est, cum operibus suis cœlum promereri velint, atque ita Filium Dei blasphemant.

Quòd Anabaptistas persequuntur, nō iniuste faciunt, cum doctrinam seditiosam aliqui profiteantur. Intelligo tamen eos, qui non sunt seditiosi, à cæteris discerni & tractari mitius.

Postremò. Quod de factionibus & practicis Cinglianorum meministis: spero rem non ita se habere. Peto autem, vt indicetis horum rumorum autores, vt veritas patefiat. Non enim existimo Cinglium & Oecolampadium eo animo esse, quòd Episcopatus diuidere vel seditiones excitare cupiāt. Quòd autem ipsorum Magistratus, multorum amicitiam & coniunctionem, in necessitate ipsis opem ferentium, expetunt, id reprehendi nequit, cum N. ipse fœdera cum Principibus & ciuitatibus fecerit, & quotidie plurimum societatem ambiat,

Quare concludens, propter gloriam Dei, & propter Ecclesiam & Rempublicam, vos obtestor, si omnino fieri potest, vt amicam & fraternam pacem, cum ijs, qui Zuingliani vocantur, faciatis. Cogitate, quanta humanitate & lenitate Apostolus & multi Patres inter se mutuò & erga alienos vsi sint. Scitis enim neminem cogi ad fidem posse, & corda primùm persuaderi oportere. Nam externa mandata & coactio nihil hac in re prosunt, sed institutione opus est, vt intelligatur cupere vos summa fide Zuinglianos rectè erudire & non perdere.

Prorsus etiam non spero vos existimare, Zuinglianos vi ad vestram fidem cogendos, vel bellum ipsis, doctrinæ, quam profitentur, causa, inferendum esse. Quod cum omni scriptura & ipsius Lutheri libris pugnaret, qui multa huius argumenti de Turcis, quorum fides prorsus impia est, scripsit. Sed de vobis talia non spero, etiam si varia ad me perferantur. Vos vt respondeatis, peto.

Quòd me obsecratis, ne à vero intellectu verborum Sacramenti me abduci patiar: non est quod dubitetis: Deo enim volente promissionibus diuinis confidam, & verbo eius credam. Tametsi

meti in hac causa vestram sententiam veram esse, expresso textu, sine glossa, certior reddi non possum. Sed libenter vos omnes & singulos audiam, & rationem meam, veræ sententiæ captivā ducendam verbo Dei præbebo.

Vicissim autem vos, velut fratres in Christo, monere volo, ut vobis ipsis diligenter attendatis, & quorum oculi in vos coniecti sint, consideretis, & ea, quæ pacis sunt, consulatis & agatis, ne occasionem præbeatis, ut Cæsar & Principes bello Zuinglianos inuadant, atque ita multi innocentes, etiam non adhaerentes ipsorum opinioni, unā cum nocentibus interficiantur: Cuius Tragediæ periculum ad omnes pios in tota Ecclesia pertineret & postea in nos redundaret. Euenire etiam posset, ut ab una parte Cæsar & Principes, ab altera Heluetij, ciuitates & Rustici, ita semutuo attererent & perderent, ut Magistratus etiam, Deo permittente, in periculum venire possent, & viduæ ac pupilli vitam & facultates amitterent.

Hac vestri monendi causa scribo, & à vobis hac in re, non meam personam, sed Dei gloriam spectari volo. Oro etiam, ut longiores literas meas ex animo amico & pacis cupido profectas, sine tædio accipiat. Libenter etiā coram vobiscum de hac causa prolixius colloquar.

His Landgrauij Hassiæ literis Philippus & Brentius sequenti Epistola responderunt.

Illuſtrissime Princeps, Domine Clementissime. Reuerenter Cels. V. gratias agimus, quod literas nostras clementer accepit: Nec dubitamus Cels. V. fideli animo, in hac causa, communem & publicam salutem multorum populorum spectare. Denuò igitur subiectissimè oramus, ut Cels. V. consideratis causis, quas nuper indicauimus, ita sibi persuadeat, verè nihil nos petulāter in hac causa agere, sed consilia & actiones nostras ita instituere, sicut coram Deo nos rationem de ijs reddituros esse confidimus.

Novit etiam Cels. V. nos duos, hætenus nec scriptis, nec alia ratione, quidquam inhumanius aduersus Cinglanos edidisse. Multos

Multos etiam in eorum numero bonos amicos habemus, vt maiorem nobis dolorem hæc distractio, quàm multis alijs, adferat.

Quantum verò ad Fraternitatem attinet, Cels. V. simplicem sententiam nostram legit, quòd in eam consentire non possim⁹, propterea, quòd talis Fraternitas sine scandalo iniri nō possit. Nec cessariò enim sequeretur, vt alij sentirent, nos in eorum doctrinā consentire, eamq; confirmare, & stabilire, quam tamen corā Deo defendere & tueri nequimus.

Deinde Cels. V. facile cogitare potest, multò maiora nobis à Cæsare pericula, quàm Cinglianis imminere, multis de causis, quas recensere nihil opus est. Itaque nihil adhuc constituere certi possumus, quomodo se res daturæ sint, in petendo Concilio, non quòd fidem nostram à Concilio primùm discere velimus, sed vt aduersus iniustas persecutiones & iniurias aduersariorū per appellationem ad Concilium nos tueamur.

Si autem Deus gratiam suam largiretur, vt doctrina nostra, quam certam & necessariam esse scimus, à Cæs. M. deinceps etiā, sicut hætenus, toleraretur: existimamus id non impedire nos debere defensione Cinglianæ doctrinæ, si eam tolerare Imperator nolle.

Nos etiam, pro simplicitate nostra, videre non possumus, Fraternitatem istam publicæ paci profuturam esse. Nam si C. M. persequi Cinglianam doctrinam vellet, nequaquam institutum suum propterea mutatura esset, quòd nos Fraternitatem cum illis inijssemus. Imò maior & horribilior Tragœdia inde existeret, quod sæpe in hac causa metuimus.

Præterea si nostri mala conscientia & sine fide Cinglianam doctrinam defenderent, non valde gratum hac re officium Deo præstituri essent.

Quod verò allegatur, populo parcendum esse, etiam si dogmatistæ oppugnentur, respondemus, neque hîc, neque in Concilio, de personis agi, sed tantùm de doctrina, an vera vel falsa sit. Hîc vnusquisque ad edendum fidei suæ confessionem obligatus est. Executio autem contra doctrinam dampnatam, non est in nostra potestate. Et Christianæ pietati conueniret, in executione discrimen seruari inter dogmatistas & populum, sicut semper in Ecclesia seruatum est. Speramus tamen, si ciuitates, quæ sub Imperatore

peratore sunt, obedientiam debitam præstabunt, posse hanc causam sine bello componi.

Rectè etiam & piè nostro iudicio Principes & ciuitates, Lutherani & Zuingliani facerent, si nos, qui docemus, doctrinam nostram defendere sinerent: nec armis nos, præsertim contra C. Maiest. defendere niterentur: sicut Dux Fridericus, laudatissimæ memoriæ, suo periculo Lutherum docere permisit, nec contra Cæs. Maiest. tueri eum voluit. Si eodem modo nunc Principes affecti essent, nos miseri ministri, leniores curas sustineremus, & alacriori animo pericula subiremus, & Principes ac cæteri Magistratus magis quieti & tranquilli viuere possent.

Quòd Cels. V. indicat, auditos esse ex nobis sermones, quòd violenta persecutione Zuinglianorum delectemur, iniuste sanè hac calumniâ oneramus. Cupidissimi enim pacis sumus, sicut constat, nos semper inquietas practicas & tumultus dissuasisse, & orasse, vt nos doctrinam nostram ipsi defendere sineremur: sicut, Deo iuuante, in hoc etiam conuentu testabimur. Gloriarì autem aliquos de Zuinglianis ad bellum instructis & paratis, verè apud Cels. V. affirmare possumus, in hac vrbe Augusta, in Rotvvilensis tumultus narratione & aliâs, auditum esse.

Illustriss. Cels. V. nouit hanc causam Dei causam esse, in qua Dei auxilium expectandum sit: qui haud dubiè nostri etiam non obliuiscetur, si modò non nimium festinabimus illegitimis præsidij & consilij nos ipsos tueri. Expectare nos oportet, quid Deus suo tempore acturus sit, nec præuenire illegitimis practicis, sicut Ezechias & alij expectarunt & auxilium opportunum consecuti sunt. In his periculis nos exercere fidem oportet, alioquin nunquam, quid sit fides, discemus.

Quare oramus C. V. vt patienter Dei auxilium expectet, nec nimium properet quærendis humanis auxilijs, quæ tamen sæpe etiam in bonis causis frustrantur.

Articulos Doctrinæ eiusmodi habemus, de quorum veritate per Dei gratiam certi sumus, & quorum causa pati bona conscientia possumus. Quæ in omnibus periculis magna consolatio est. Sed de Zuinglianæ doctrinæ, vt nominatur, veritate certi esse non possumus, cum de ea clarum & expressum verbum Dei nullum habeamus.

Hæc Cels. V. respondere breuiter volumus, & subiectissimè
t oramus,

oramus, vt Celf. V. literas nostras clementer accipiat. Si Celf. V. ampliorem declarationem requireret, reuerenter Celf. V. morem geremus, sicut G. V. nos debere agnoscimus. Deum oramus, vt Celf. V. incolumem & florentem perpetuo seruet.

Cum autem hac Landgrauij intercessionem obtineri non potuisset, vt Zuingliani in fratrum numerum à Saxonis recepti, ad communem subscriptionem admitterentur: tamen post exhibitam quoq; à nostris Confessionem, Bucerus non destitit, ineundæ conciliationis & cōcordiæ rationes, omni cura & studio vrgeret. Cumque apud Gregorium Pontanū, Electoris Saxonie Cancellariū, aliquoties dixisset, de re ipsa inter se & Electoris Saxonie Theologos consensum esse, tantum loquendi formas dissimiles hactenus vsurpatas, & secus, quàm autorum sententia fuerit, ab altera parte acceptas, occasionem tanto certamini præbuisse, & totam controuersiam placido colloquio dirimi & componi posse: Pontanus scripto Bucerum sententiæ suæ, viua voce apud se ex-

positæ, summam complecti iubet. Id sequenti Epistola Bucerus præstitit.



EPISTO.

EPISTOLA MARTINI BV.
CERI AD D. GREGORIVM PON-
TANVM, ELECTORIS SAXO-
NIE CANCELLA-

RIVM.



Vòd hesterna die M. V. pollicitus sum, me sermones illos, nempe quòd, Deo teste, nos in causa Coenae Dominicae, verbis tantum à D. Luthero dissentire dixi, breuibus articulis comprehensurum esse, istud nunc animo simplici, candidoq; praestiti, ea complexus, quae & in conscientia mea & coram Deo vera esse iudico.

Subiectos igitur articulos ad vos mittens, reuerenter oro, vt in eum finem ijs vtamini, in quem à me sunt cõscripti, nempe, vt Deo cooperante & faciente, dissensiones tam periculosae vel penitus tollantur, vel ad minimum leniantur.

Quàm infelici conatu haecenus compositio illa tentata sit, & qui de ea peruulgati fuerint rumusculi, si cõsiderare voluissim, causae multae, grauesq; satis mihi in mētem venire potuissent, me monentes, vt rem totam intactam relinquerem. Sed cum aliter indicare non possim, quàm D. Lutherum, & alios ei coniunctos, qui nos fratrum albo expunxerunt, gloriam Domini nostri Iesu Christi ex animo & summa fide quærere ac promotam velle, facere non possum, quin omnes vias persequar, quae mihi ad tollendas dissensiones & recuperandam concordiam aliquid facere videntur. Crucem hac ratione me non effugiturum, sed illa me magis oneraturum esse certò scio. Nam Princeps mundi tantò sauiet atrocius, quantò nos diligentiores in cõsequendo regno Christi & componendis dissidijs fuerimus. Deinde hoc quoq; verum esse necesse erit, electorum paruum esse numerum. Hi igitur licet in omnibus vnum idemq; sentirent: tamen à reliquis erroribus & nauis, quos Satan nonnunquam adspersit, aliter liberari non possent, quàm per vulnera Christi. Hoc dignitatem vestram nunc liberatam, iam pridem in Christiana sua vita per experientiam didicisse & cognouisse, non dubito.

t 2

Omnia

Omnia verò, quæ sum subiecturus, ea me credere & sentire, Deo ac conscientia mea teste, profiteor, per hæc nullius fidei detrahens aut addens quicquam. Sed tamen pro vero affirmare non dubito, controuersiam inter Lutherum, & Zuinglium & Oecolampadium, quantum ego intelligo, in tribus consistere punctis:

Quomodo scilicet verba illa: Hoc est corpus meum, sint intelligenda?

Quomodo homines corpus Christi comedant?

Qui illud accipiant?

Verba illa: Hoc est corpus meum, secundum ἡ ἐστίν, non minùs, quàm Lutherus, vera esse dicimus, licet aliqui ex nostris ea ita sint interpretati, vt vocabulum Est, pro verbo significat, & corpus, pro figura corporis acceperint, quæ duæ loquendi formulæ, vt Lutherus ipse in sua confessione fatetur, vnum idemque significant.

Causas verò, ob quas illa verba nostri ita sint interpretati, & ob quas Lutherus interpretationem illam reiecerit, cōsiderans, nullam prorsus dissonantiam reperio. Nostri enim his causis moti hoc fecerunt, quòd multorum hominum ea esset opinio, panem esse corpus Christi, & panem comedentem, Christum comedere, nulla prorsus habita ratione gratiæ diuinæ & fidei. Quam opinionem non tantum hætenus doctrina sua Lutherus oppugnavit, verum etiamnum oppugnat.

Alij deinde sunt, qui locutionem hanc, Hoc est corpus meum (de pane scilicet dictam) cum illa conferre voluerint: Hic est Filius meus: Id quod præcipuè scribendi occasionem dedit Oecolampadio, vt in Dialogo suo testatur ipse. Ac inde factum est, quòd nostri panem corpus Christi substantialiter & corporaliter esse negarunt. Hoc autem & Lutherus in Confessione sua negat, perspicuis verbis panem & corpus CHRISTI, duas diuersas substantias & naturas esse, & sacramentaliter vniri demonstrans. Quòd verò Lutherus nostrorum interpretationem reiecit, ex eo (quantum ego quidem ex scripto eius iudicare possum) factum est, quòd præsentiam Christi, per eam in Cœna tolli & remoueri, fuit arbitratus.

Nostri verò panem eiusmodi signū corporis Christi nequaquam

esse

esse dicunt, per quod corpus Christi abesse, vel non sumi denote-
tur, id quod multis scriptis editis hactenus testatum fecerunt.

Deinde & hoc manifestum est, ex hac locutione, qua Panis
figura & signum corporis Christi esse dicitur, nequaquam sequi,
quòd corpus CHRISTI propterea non adsit: Aliàs enim de Au-
gustino quoque dici posset, quòd nudum panem in Cœna esse
senserit, cùm tamen contraria sententia in libris ipsius ubique re-
periatur. Nam contra Adimantum scribens his verbis usus est:
Christus non dubitavit dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret
signum corporis sui.

Cùm igitur nostræ partis Doctores per interpretationem
suam Christi præsentiam tollere aut negare nequaquam voluerint,
sed in omnibus scriptis & libris suis eã sint testati, nec aliud quip-
piam quàm hoc planum facere & obtinere interpretatione sua
studuerint, quòd panis non sit substantialiter corpus CHRISTI;
hac ratione vulgum à pane visibili, ad Christum invisibilem ad-
ducere volentes: equidem non dere, sed tantùm de verbis cõten-
tiones esse reperio.

Cùm igitur à veteribus & neotericis Ecclesiæ Doctoribus,
multa sacræ Scripturæ dicta aliter explicentur, nec tamen ob hoc
alter alterum condemnet, dum in sententia & sensu verborum
error nullus committitur, certè aliter iudicare non possum, quã
& nunc ex Christiano amore idem fieri posse, cùm certè necesse
sit, vt aliquando fateamur, hanc locutionem, Hoc est corpus
meum, non simplicem, sed tropicam esse. Non enim verba illa
explicatione indigere, vllus sapiens negat, nec à Scholasticis &
alijs Doctoribus eodem modo declarantur. Adhuc Augustinus
quoque & Hieronymus eo sensu, quo nostri, verba illa intellexe-
runt. Denique nostri causam suam nequaquam interpretationũ
modis aut formulis fundarunt: sed illud tantùm oppugnarunt,
Panem Christi corpus substantialiter esse, vel corpus Christi cor-
poraliter adesse crasso illo modo & intellectu, quo vulgus illud ad
esse opinatur. Nam Lutherus opinionem illam ipse rejicit.

Altera controuersia in hoc versatur, quòd quaritur: Quo-
modo corpus & sanguis Christi adsint. Nostri ea præsentia esse,
& contemplatione fidei percipi, dicunt: Id quod à nonnullis nõ
maiorē emphasim habere dicitur, quàm si quis absentis recor-
detur amici. Sed nostri præsentia illi multò plus tribuunt, vt

quæ per certissimum Dei verbum, & potentē Spiritus sancti cooperationem consistat.

Quod verò à verbis illis, substantialiter, & corporaliter, abhorrent, tantū ex eo est, q̃ vulgus per illa eiusmodi præsentiam imaginatur & intelligit, quæ per motum fiat & localiter. In quo sensu nec Lutherus ipse hæc verba accipit. Equidem Lutherus fatetur, nostros, Dominum coelos ascendisse, & mundum dereliquisse docētes, cōcludere ipsum propterea in pane esse nō posse, ac nostros de eo tantū præsentia modo loqui, qui requiratur.

Si igitur alias loquendi formulas, quibus Lutherus in describenda hac præsentia utitur, inter se conféro, nempe, quod motū & localitatem (vt scholastici) tollit: Itē, quòd de locutione hac, in pane est corpus CHRISTI, nolit contendere, sed quòd corpus Christi adeste, nec nudum panem & vinum exhiberi sciat, contentus esse velit: Item, quòd fatetur, Christum nihilominus per verbum in Sacramento præsentem esse, licet in aliquo certo cœli loco sit, vt flammula in certo Crystalli loco est, & tamen in omnibus tanquam præsens apparet: Item, quòd ipse omnesq; sectatores ipsius dicunt, præsentiam illam per verbum fieri: Item, quòd Brentius, os corporis panem, os verò fidei corpus Christi comedere scripsit: Item, quòd Philippus, concordia causa, Marpurgi deliberandum proposuit, de verbo ad verbum verum esse nostri sentiunt. Paulus non reformidat has figuras, Christus habitat in nobis: Quare nec nobis, vt credo, reformidanda essent hæ locutiones, Christū verè adeste cū Sacramēto, quandoquidē agat ibi. Nec Christus quidē dubitat dicere, Veniemus, & mansionem apud eos faciemus. Item Augustinus dixit, Filium hominis in unitate personæ in cœlo fuisse, cū in terra loqueretur.

Cū igitur has locutiones penitus introspectio & cōsidero, aliter iudicare non possum, quàm Lutherum ipsum & sectatores eius omnes fateri, neminem alia ratione Christi corpus vel dare, vel comedere posse, quàm in & per verbum, atq; ita cōtemplatione fidei, quæ deinde verbum accipit & amplectitur, & per illud corporis & sanguinis Christi fit particeps.

Licet enim D. Martinus scribat, fatendum esse, corp^o Christi ore percipi, dentibus conteri, & alia plura, quibus loquendū formulis etiam Chrysostomus utitur: tamen & hoc fatetur, corpus Christi per se non manducari, nec dentibus conteri ea ratione,

ne,

ne, quæ visibiliter alia caro manducatur & conteritur: sed quæcūque in pane fiunt, ea propter Sacramentalem vnionem de corpore Christi quoq; dici & intelligi posse.

Ad hæc sanctorum Patrum dicta, de Sacramento agentia, diligentius considerans re ipsa experitur, eos nequaquam diffiteri, aut inficias ire, quòd corpus Christi verè sit in Cœna præsens & manducetur, ita vt semper corpus & sanguinem Christi animo & fide præsentia statuant & exhibeant, panem & vinum, corpus & sanguinem Christi nominando. Id quod Chrysostomus admodum perspicuè in libro de dignitate Sacerdotali significat, his verbis: Quando enim vides Dominum immolatum, & Sacerdotem sacrificio adstantem & propitiantem, omnesque illo pretioso sanguine rubesceri, nunquid adhuc eum præsentem esse putas, & super terram stare? an non potius mox in cœlum transis, & abijciens omnem carnalem animæ cogitationem, nuda anima & puramente, quæ in cœlis sunt, circumspicis? O miraculum, ô Dei misericordiam, qui cum patre sursum sedet, hora illa omnium tenetur manibus, & dat se volentibus accipere & amplexari.

Ex his omnibus plura testimonia, hæc vocabula, corporaliter, substantialiter, & similes locutiones confirmantia, adducere, & in medium proferre non possum: Quam sententiam & nostri probant, sed non secundum communem & crassum vulgi intellectum. Atqui Lutherus ipse verbis illis vtitur, vt verum Christi corpus pro nobis crucifixum & passum, verè præsens esse & manducari doceat: Cui opinioni & nostri adstipulantur, vt Oecolampadius in Dialogo suo testatur. Accertè de Deo locuturi fateamur necesse est, verba illa, Hoc est corpus meum, non plus significare, quàm quod agitur, & quod à credentibus contemplatione fidei fit. Id quod cum illo conuenit, quod M. Philippus, concordie causa, tum seriò illic proposuit: Christus habitat in nobis, & mansionem apud eum faciemus.

Tertiò de illo etiam controuertitur, an impij corpus Christi percipiant. In quo nostri eò respexerunt, quod CHRISTVS illis: Hoc est corpus meum, dixit, quibus paulò post dixit, Quod pro vobis traditur, qui p vobis & pro multis alijs effunditur, hoc est, ad veros discipulos tunc orationem conuertit. Cùm enim pro multis, & non pro omnibus sanguinem suum effusum iri dixerit,

dixerit, ipsum de ijs tantum locutum esse constat, qui mortis & passionis eius verè participes facti sunt. Omnes item Patres, quæ S. Iohannes de manducatione scripta reliquit, ad Cœnam retulerunt (vt & Christus hæc verba tempore Cœnæ protulit) quocertè Patres innuere voluerunt, Christum in Cœna non tantum Sacramentalem, verum etiam corporis & sanguinis sui manducationem & vsum ad salutem instituisse. Igitur Augustinus scribit, Discipulos manducasse. Ac licet Patres sæpè dicant, Iudam & alios impios corporis Christi fieri participes: tamen eiusmodi Patrum locutiones de Sacramentali vnione dictæ videntur, cum impij panem & calicem Domini non percipiant. Hæc tamen controversia facillè componi posset, si, quemadmodum Bernhardus, loqueremur, qui triplicem ponit manducationem, primam Sacramentalem, quæ parum prodest: alteram, qua Christi corpus sine fructu percipitur: tertiam manducationem dicit esse credentiũ, qui hanc Cœnam à Christo institutam esse, ipsumque corpus & sanguinem suum distribuere statuunt.

Quòd verò Doctorem Lutherum & sectatores eius, à nobis, quoad fundamentum, non dissentire dico, eius rei hanc habeo causam, quòd affirmant corpus & sanguinem CHRISTI, in & per fidem percipi. Nos autem, præter nudum panem & vinum, in cœna Dominica nihil relinquere Doct. Lutherus scribit, licet verba CHRISTI non secus ac ipse, sectatoresque eius recenseamus. Verba verò Christi contemnentibus, vt impij faciũt, & quibus omnia, quæ Christi sunt, sordent, quomodo illa manducatio prodesse possit?

Igitur diligenter omnia perpendens (cuius rei Deus mihi testis est) reperire non possum, in quibus re ipsa dissentiamus, modò verbis conuenire possimus. D. Lutherus, ne panis tantum & vinum in Cœna relinquerentur, eiusmodi locutionibus vsus est, quæ erasso Papistarum errori patrocinari multis visæ sunt: Qui homines à fide, ad externa sacrificulorum opera, & ab honore venerandi Sacramenti, ad impias Missarum pompas deduxerunt. Huic verò errori nostri occurrere volentes, eiusmodi verbis vsi sunt, quibus verba CHRISTI reprehendi, ac nihil præter nudum panem & vinum in Cœna relinqui, Doct. Lutherus existimauit, cuius tamen rei nostri nullam fecerunt mentionem.

Insuper

Insuper ad Christi iudicium prouocans dico, me nihil dissimulare, sed ea dicere, quæ sentio, & quæ ab initio dissidiorum sensi, cuius rei mihi scripta mea testimonium perhibebunt, omnesque illi, cum quibus his de rebus commentatus fui, licet me melius ea intelligere aut clarioribus verbis explicare possent, nequaquam dicam.

Semper etiam ex animo optaui, ut cum M. Philippo & alijs doctis viris, omnibus depositis affectibus, in vera simplicitate (ut in rebus diuinis fieri æquum est) de his rebus conferre possem: sed hætenus id impetrare non potui. Deus, quæ ad nominis sui gloriam profutura esse nouit, faciat. Nobis certè periculosa scandala ex dissidijs illis prouenientia cōsiderantibus, nihil optatius contingere posset, quàm si dissensiones tollerentur. Hoc impetrari posse, si spes esset, nullis molestijs aut laboribus parceremus.

Hæc omnia ut in bonam partem accipiatis, & ad pacem & concordiam ijs utamini, rogo, & si fieri potest, efficiatis, ut cum M. Philippo, Domino meo charissimo, colloqui possim. DEVS, cui me commendo, nobis sua gratia adsit, 22. Iulij.

Post Scripta.

Excidit, cuius cum primis meminisse oportebat, nos de incarnatione Domini, de unitate personali duarum naturarum in Christo, de Ascensione Domini, & ad dextram patris sessione, ita credere atque docere, ut præscripserunt Patres in Synodo Nicena, ut tradiderunt D. Hilarius, Augustinus, & huius ordinis alij, imò ut D. Martinus in Postilla sua docuit. Nam fingunt sibi quidam vestrum, ob quædam alijs, quàm ipsi uti solent, verbis à nostris exposita, nos de hisce mysterijs perperam sentire, hancque precipuam causam faciunt, cur nos fratrum albo expunxerint.

Proinde quantum ad hæc attinet, secuta sit D. T. nihil in nobis rectæ fidei desiderabitur. Siquidem rectè post Scripturas Orthodoxi illi Patres, ac D. Lutherus ipse hisce de rebus scripserunt. Horum admonere D. T. volui, ut, si quid dominos & amicos nostros, eruditos vestros, de nostra circa hæc sententia causari contingat, ipsi subeat, quod verè respōdeat. Quam Dominus incolumem seruet, ac felicem reddat. In diuersorio Legatorum urbis Argentoratensis. 10. Cal. Augusti.

† §

His

His Bucerī literis lectis, ne nostri defuisse suo loco concordiae viderentur, Ioanni Brentio mandatum est, vt cum illis colloqueretur, nec tamen cæterorum nomine quicquam promitteret, sed audita ad suos fideliter referret. Cum autem Bucerus & socij, Electoris etiam Saxoniæ Theologos, ac Philippum inprimis, ad colloquium placidum accedere optarent, vt collatis sententijs concludi & transigi facilius posset: Philippus sequenti epistola ipsis sententiam suam significauit.

PHILIPPVS MELAN- THON BVCCERO CVM

S V I S S. D.



Brentius exposuit mihi summam Colloquij vestri. Neque ego recusarem vobiscum coram colloqui, si nunc per certa negotia liceret. Nam ita velim persuadeatis vobis, me, sicubi dissentio à vestris dogmatibus, sine vlla acerbitate animi, sine odio dissentire. Mihi non videtur vtile Reipub. aut tutum meæ conscientiae, nostros Principes onerare inuidia vestri dogmatis, quod neque mihi, neque alijs persuadere possim contra Ecclesiae auctoritatem. Si tamen mecum per literas colloqui volueritis, promitto me illas ita asseruaturum esse, ne quid inde periculi vobis possit oriri. Cinglius huc misit ἐξομολόγησιν, in qua certè non vult videri verbis discrepare à nostra sententia: Et præter rem tumultuatur in alijs quibusdam articulis.

Videtur

Videtur in hominem magis Helueticus quidam, quàm
 Christianus esse Spiritus, qui impulerit eum ad tam ferociter
 scriptam confessionem. Magnopere vellem posse contro-
 uersiam περί δειπνου κυριαχοῦ sedari, de qua si quid
 ad me scripseritis, libenter respon-
 debo. Valet, 25. Iu-

lij.



DOCTIS

DOCTISSIMO ET HVMA-
NISSIMO VIRO, DOMINO PHI-
LIPPO MELANTHONI, CAPITO
ET BVCERVS

S. D.



Quod colloqui tecum optamus, vir doctissime, non inde est, Deum testamur, vt in vos, qua apud mundum flagramus, inuidia partem deriuemus: Satis namq; nouimus, mundum nihil prorsus Christi ferre, quacunq; illud ratione administres: id quod non tu solum, sed etiam Erasmus, quo nemo veritatem profitetur ciuilius, abunde experitur. Stat dictum Christi, animam ei perendam esse, qui apud ipsum inuenire illam cupit, vnum profecto animae seruatorem. Et nos alioqui à publica rerum perturbatio-
ne, vt quiquam alij, abhorremus: Sed cum Dei amor ac studium omnibus rebus anteferri debeat, si etiam extrema rebus humanis immincant, non licebit tamen prodere veritatem Euangelicam, tacere quæ loqui iubet Deus, relinquere lupis, pro quo grege sanguinem Christus fudit. Vides modò id, quod, qua es innocentia & bonitate, haudquaquam suspicabaris, nempe veritati adeò nihil vsquam loci esse reliquum. Haud enim multi sunt, quibus datum est, sese penitus abnegare & deuouere cruci. Hæc cum pridem nobis persuaferimus, non possumus à mundo aliud, quàm exitium expectare, etiam si illum per Eucharistiam nihil offendissemus, & arctissime quoque inter nos coniuncti essemus, quotquot Christi esse volumus. Quantula enim nostrum omnium, ad eos, qui Rom. Pont. agnoscunt, portio? Ab vno Christo & fide, omnem petendā iustitiam & salutem, cætera fucum esse, id verò est, quod in nos, vt mundi Principem, ita & mundum commouet. Quid enim illos conturbet, quadam ratione negare Christum in pane, qui ne in cælo quidem esse ipsum credunt? nulla igitur nobis causa est, cur quenquam, nedum vestros Principes, tam pios, tam sanctos, nostri dogmatis inuidia onerare cupiamus. Ad hæc tam abest, vt petamus aliquem profiteri, de quo non sit per verbum Dei certò persuasus, vt vehementer etiam, si quis id

idausit, detestemur. Nusquam enim magis abesse temeritatem conuenit, quàm in negotio Dei.

Porro quantum ad Cinglij apologiam vel confessionem attinet, putamus te posse securum esse: præter enim id, quod nemo ignorat, quàm nihil nobis cum illo commune sit, vides ipse iam, vnũ hoc esse, quod Cæsarem nobis omnibus irritat, quod Christum posthabere pontifici nequimus.

Cæterum quo hic insu scripserit, iudicabit Spirituum ponderator. Nos nemini, aut certè per paucis datum arbitramur, dũ hac carne grauantur, aliquid ita pro Dei Spiritu gerere, vt ei caro nihil sui adijciat. Non desunt etiam, optime Philippe, (quod tua pace scribere liceat,) qui putent & Lutherum aliter fuisse admoniturum Ecclesiasticos nuper illo libello, si scribenti caro nihil sui afflasset: vt multa alia taceamus, quæ in eo & alijs suis scriptis in nos, sub nomine fanaticorum & hæreticorum præter verum torquere videtur. Atqui de quibus alijs articulis præter rem Cinglius hoc suo scripto tumultuetur, non videmus: Nam nihil attingit, quod non antea editis libris orbis iudicio obtulerit. Et modò, cum tanto Monarchæ, in præsentì theatro, fidei reddenda ratio fuit, dissimulasse, quid quæso aliud, quàm malæ ipsum conscientia insimulasset, & hostes ad persequendum vltro fugientem animasset? Nobis profectò videtur, si vnquam forrìter & ingenuè veritatem asseruimus, hoc in præsentiarum, cum iudicare illam mundus instituit, præcipuè faciendum esse. Ita sanè solebāt martyres prisci.

Vtinam verò, quam paulò antè coepimus meditari modestiam, initio & progressu huius negotij præstitissemus, nec adeo tumultuari paradoxis, si non contra, certè præter nostram professionem libuisset.

At verò quod scribis, Cinglium nolle videri, verbis tantum dissidere, fatemur, sed cum ijs, qui crassius, quàm tu facere nobis videris, Christi corpus, vel panem vniunt, vel in pane collocant. Ipsum autem Seruatorem nostrum testamur, nos inter eius in Cœna præsentiam, quam ille constare scribit contemplatione fidei, & vos realem quidem, sed non localem statuitis, aut nullum, aut certè prætenue, quodque, dum quæritur, euanescat, discrimen cernere. Longius abesse à nobis de veritate humanitatis in Christo

sto videri possitis, cum proximo illo Brentij colloquio, tum quibusdam eiusdem & aliorum scriptis: Verum si quis & hic remotis affectibus, veroque pacis studio, utrorumque sententiam excutiat, dispereamus si aliam deprehensus sit controuersiam, quamque conueniri nondum potuit, de verbis, quibus hoc mysterium proponendum sit. Quamquam fieret ut tantis in rebus non idem sentirent, quos idem docet agitque Spiritus?

De te nullum nobis dubium est, cum tanti Patrum auctoritate, & quidem merito, facias, ad horum loquendi formam te, si de isto tibi mysterio differendum sit, propius accedere. Nec Lutherus sanè Marpurgi ita inconsideratè, ut quidam, loqui videbatur. Hæc omnia videt tua prudentia, vir doctissime, quam latè pateant.

Ad hoc abundè expertus es, quam parum scriptis hætenus ad restituendam inter nos concordiam profecerimus, cum colloquio illo Marpurgico, quamlibet tumultuario, ac longè, quam oportebat in tanto negotio, breuiori, aliquid tum dissensionis positum sit, & reliquum, ut nostra fert sententia, positum indubio fuisset, si licuisset alteros alteris suam sententiam certiùs & dilucidius exponere. Perturbatis sic animis, rarò id legitur quod scribitur, & si legi contingat, ferè aliò quam scriptum est, interpretatione incommoda rapitur. De fide alioqui tua in asseruendis literis nihil dubitamus, quanquam eò quoque periculorum nos ipsos pridem ob Christi nomen, ut nos quidem nobis conscij sumus, adduximus, ut haud videamus, quid illis queat adijci.

Ne dubites autem & tu, nos præstituros, ut colloquium nõ minùs absque fraude tua habeas, quam queat absque nostra agi literis. Stultorum siquidem hominum rumusculos contemnere decet, cum effugere non liceat, quacunque demum ratione res instituatur. Vix nuper ad alteram horam cum Brentio de concordia collocuti sumus, & eo statim die, magnus quidam gloriatus est, nos huc venisse, ut recantemus. Christo viuimus, cui nemo verba dabit, tum bonis duntaxat probari cupimus: iam nos vel nuge istæ nihil mouent, vel si præstringi illis oculos ad tempus contingat, veritas breui istiusmodi fumos dispellens, rursum ad se reuocat. Insolentem esse Christianum oportet, quem ista ab inquirenda pace saluteque frui remorentur.

Pro-

Proinde te per Christum oramus, nisi omnem de nobis spem desponderis, tuum ad colloquium copiam nobis facere digneris. Veniemus, quò & quando tu voles, ac eos præstabimus, de quibus nihil dubitaturus sis, Christi gloriam ex animo quærere, abesseque longè ab omni hac in causa fūco fraudē. In reliqua vita quamlibet veri esse studeamus, id nobis vsuuenit, quod hominibus solet, vt etiam nos ipsos sæpè fallamus.

Hac in re autem, & in omni negotio doctrinæ Christianæ sic nos excussimus, vt deicere liceat, nihil aliud nos, quàm Christi placita, quærere.

Scribis, te sine vlla acerbitate animi dissentire: Crede, hinc nihil tibi cedimus. Addis, te nihil hinc contra nos egisse: Nos & hinc & alibi, vos & vestra etiam defendimus, quæque defendere non licet, vel tacemus, vel lenimus: omnia, quæ in nos dira admodum & dicunt & scribunt, procul vero, zelo tamen Dei, sed intempestiuo adscribimus, nec vlli nostram sic causam commendamus, vt non simul commendemus & vestram. Publicam pacem & nos nostro sanguine redimere optamus, sed quæ solida sit, quamque nemo dederit nisi Christus, cui Pater dedit omnem potestatem in cœlo & in terra, qui que verò tum candidis & minimorum etiam rationem habentibus delectatur.

Vide verò in quàm longos logos, responsio ad vnicum epistolium deduxerit. Quid futurum putas, si res tantas, per epistolas tractare velimus? sunt enim & alia, vt aiunt, de quibus tibi exrare videmur.

Et hodie narrauit quidam, dixisse te primario cuidam partis aduersæ Theologo, Cinglium & me Bucerum recantasse, in quæ Marpurgi consensimus, omnia id quod absque causa dixisti, si modò dixisti. Nam omnibus illis adhuc adhæreo, & quidem ad sensum Lutheri. Nec discessit ab eis Cinglius: quod tibi, & omni, qui iudicio aliquo præditus fuerit, facile comprobabo, si ad colloquium nos admittere videbitur.

Oro, paucis arbitris velis esse contentus, quia familiare Colloquium ambimus. Brentium & similes adesse optamus. Nos præter Sturmium neminem adhibebimus, & si libet, etiam hunc mittemus. Dilectio namque vetat, aliud à vobis, quàm quod candi-

candidos decet, expectare: ut eunq; iactent nonnulli, voces quasdam dici & scribi parum synceras, quæque non queant, nisi ex sinistro & præpostero nostri iudicio nasci.

Bene vale, & quod te dignum hac in re arbitratus fueris, significæ. Interuenit negotium nobis, alioqui quarto hinc die ista scripsissemus, ne putes volentes responsum hæcenus distulisse. Ex diuersorio Legatorum vrbs Argentorati, 28. Iulij.

Tui Capito & Bucerus.

ET si autem tantopere Colloquium Bucerus & socij vrgerent, tamen Saxonici, re deliberata, statuerunt, scriptis potius, quàm viua voce, agendum esse. Et quia Cancellario Pontano, Brentio, & alijs, Bucerus ostenderat, de verbis tantum inter Lutheranos & Cinglianos litigari, de re ipsa consensus esse: Iudicarunt, Bucero statum controuersiae, seu momenta causæ, in quibus totum certamen consisteret, breui scripto notata, mitti oportere: De quibus si apertè & ingenuè se ille declararet, vlteriùs in tractatione causæ procedi, & syncera ac durabilis concordia constitui posset. Sequentes igitur

ARTICVL I.

Statum controuersiae inter Lutherum & Bucerum ac ceteros Cinglianos principalem, perspicuè indicantes,

à Philippo, ex cuius autographo ipse eos magna ex parte transcripsi, notati, & per Cancellarium Pontanum Bucero missi sunt, adiunctis etiam literis Pontani, in quibus de tota causa, suam & Theologorum sententiam copiosius exposuit.

ARTI.

Cingliani sentiunt, corpus Domini tantum in vno loco esse posse.

Item, Corpus Christi non posse alicubi esse, nisi localiter. Et valde contendunt, quod repugnet naturæ corporis, simul in diuersis locis esse.

Et propterea sentiunt, quod corpus Christi sit in loco certo circumscriptum in cœlo, ita, vt simul nullo modo possit alibi esse, & quod verè & realiter distet à pane, nec in pane nec cum pane sit.

Ergo non est, quod disputat Bucerus, quod idem sentiat nobiscum.

Nos enim dicimus, quod corpus Christi simul possit in locis diuersis esse, siue id fiat localiter, siue alio arcano modo, quo diuersa loca personæ Christi simul, tanquam vnum punctum præsentia sunt. Item veram & realem corporis Christi præsentiam cum pane ponimus.

Bucerus nunquam audet dicere, si velit sententiam Cinglij aut Oecolampadi sequi, corpus Christi realiter est cum pane, sine distantia Geometrica.

Nos possumus has sententias allegare de præsentia corporis, Ego sum in medio eorum: Quia non alligamus corpus Christi simpliciter, ita vt necesse sit in vno loco tantum esse circumscriptum.

Hæc verba, CONTEMPLATIONE fidei, nihil significant ipsis, nisi absentis Christi recordationem.

Et Bucerus ipse offundit nebulas, cum dicit, de his verbis, contemplatione fidei: Id à nonnullis non maiorem emphasin habere dicitur, quàm si quis absentis recorderetur amici. Sed nostri præsentia illi multò plus tribuunt, vt, quæ per certissimum Dei verbum, & potentem Spiritus Sancti cooperationem consistat.

Hi præsentiam tantum intelligi volunt de efficacia & Spiritu sancto. Nos autem requirimus non solum præsentiam potentia, sed corporis. Hoc de industria dissimulat Bucerus.

Ipsi simpliciter sic sentiunt, quod corpus Christi sit in cœlo, & non sit vel cum pane, vel in pane realiter.

u

Et

Et tamen dicunt corpus Christi verè adesse, sed cōtemplatione fidei, hoc est, imaginatione. Hæc simpliciter est sententia istorum. Fucum faciunt hominibus per hoc, quòd dicunt verè adesse, & tamen postea addunt, cōtemplatione fidei, id est, imaginatione. Sic iterum negant præsentiam realem.

Nos docemus, quòd corpus Christi verè & realiter adsit, cum pane vel in pane.

Videtur autem mihi Bucerus hinc insidias struere: cū dicit, nos vnà conuenire, s. quia negamus transsubstantiationem, sed dicimus manere panem.

II. Quanquam dicimus, quòd corpus Christi realiter adsit, tamē nō dicit Lutherus, adesse localiter, scilicet in aliqua mole, circūscriptiue, sed illo modo, quo Christi persona, seu totus Christus præsens est, toti Ecclesiæ suæ & omnibus creaturis.

III. Hinc argumentatur Bucerus. Si Christi corpus adesset illo modo, quo totus Christus præsens est omnibus rebus, sequitur quòd corpus Christi sit in aliquo vno loco positum localiter: Et quòd aliæ res, quia habent loca dissita, tamen præsentēs sint corpori non realiter, sed obiectiue. Ita disputat tantū imaginationem esse præsentiam.

Sed Bucerus decipitur hac imaginatione: Quia nunquam concedit realem & veram præsentiam.

Item, Nobis est dicendum, quòd dicamus veram & realem præsentiam esse, & non disputandum, vtrum sit localis, vel qualis sit.

Ad hos Articulos & literas adiunctas, Cancellario Electoris Saxoniae D. Pontano, Bucerus sequentibus literis respondit.

Habeo gratiam tuæ D. quod responsionem à M Philippo mihi impetrauit. Verū si hic vir me voluisset probè expende-

re, haudquaquam adiecisset, me de industria dissimulare, ipsum cum suis requirere praesentiam corporis. Noui hoc pridem, & si non nouissem antea, Marpurgistamen ab ipso in cubiculo D. Lutheri licuisset discere, cum eadem, quae hinc scripsit, coram mihi diceret. De eo autem in praesentiarum disputo, quam ipsi corporis praesentiam requirant, nimirum, quae nihil motus, nihil loci requirat, constareque possit, ut Lutherus in sua confessione colligit, etiamsi Christus vnum in coelo locum occupet, non esse aliam, quam quae habetur cōtemplatione fidei. Verbo enim afferri Christi corpus, & fide percipi afferunt. Ecquis alius praesentiae modus, quo diuersa loca personae Christi simul, tãquam vnum punctum, praesentia sunt? Id quod fatentur in articulis, quos D. T. modò misit. Sed quid opus verbis? M. Philippus fatetur, sic esse corpus Christi cum Sacramēto, sicut adest nobis iuxta hęc sua promissa, mansionem apud eum faciemus, ero in in medio illorum, ero vobiscum vsq; ad cōsummationem seculi, Item iuxta illud Pauli, Christus habitat in vobis. Iam idem & nos agnoscimus, & adducta loca intelligimus ita, ut sancti Patres. Horum itaque autoritatē cum M. Philippus tanti faciat, quid mirum, si videatur mihi re nobis conuenire? Iterum namque dico, nec ob id offundo nebulas, hęc verba, Contemplatione fidei, nobis plus, quàm absentis recordationem significare. Id quoque in Dialogo suo Oecolampadius abundè testatus est.

Miror autem cur offendat, quod scripsi: **Die vnsern firecken aber sollich Gegenwertigkeit gar vil weitter / als die durch das vnsehlend Wort Gottes / vnnnd gewaltige Wirkung des heyligen Geistes / bestehet.** Cum ipsi quoque ita loqui soleant, per verbum Christi corpus afferri, & Patres passim per virtutem Spiritus sancti hinc Christum praesentem fieri testentur. si equidem hinc significo praesentiam tantum intelligi de efficacia, & Spiritu sancto. Idem & ipsi significant, cum iisdem verbis vtantur. Sed quid? & Oecolampadius satis superque testatus est, ipsum quoque Domini corpus nobis in Coena praesens exhiberi, verum ita, ut Chrysostomus, ut Patres reliqui crediderunt, nudae animae, & purae menti, ei que in coelestia subleuatae.

Cæterum, credimus Deo possibile omne verbum. Verum cum Scripturae Christi corpus, tam post resurrectionem, quàm

ante in vno semper loco, corporis modo, nunquam in pluribus, ostendant, ego non ausim affirmare diuersum.

Corpus Christi non esse alicubi, nisi localiter, non est nostra sententia, nisi esse alicubi, modo corporis, vel iuxta proprias dimensiones intelligas. Verum enim & totum Christum fatemur esse, vbicunq; Christiani sunt: habitat enim in illis. Corporis naturæ repugnare dicimus, alicubi esse corporis modo, nec tam localiter, sed non modo quouis.

Repugnare naturæ corporis, simul in diuersis locis esse, affirmamus, sed ita vt Augustinus, vt Thomas, vt Bonauentura, ac multi alij, quos nemo vnquam non inter Orthodoxos, quantum ad hanc quidem sententiam attinet, habuit. Hæc verba Augustini, Christum esse in aliquo loco cœli, propter veri corporis modum, vera credimus, & eo modo, quo in cœlis agit, simul alibi esse, in pane, vel cum pane, secundum Scripturas, cum omnibus & Patribus & Scholasticis negamus.

Porro cum hæc sit D. Augustini sententia, à qua ne pilum latum discedimus, & agnoscat hunc M. Philippus sibi in negotio Eucharistiæ consentientem, propterea quòd passim fateatur, in Cœna Domini corpus verè præsens, quæ sit, vt non & nos sibi consentire agnoscant, eadem fatentes?

De proprietate corporis Christi, fateor, nobis non conuenit cum quibusdam, qui D. Lutheri sententiam defendunt, sed haud scimus an & M. Philippus cum illis faciat: Sed in præsentia de ea duntaxat controuersia disputaui, quæ circa Coenam est. Huius verba vera agnoscimus, & tantam Christi præsentiam fatemur, quantam verba exprimunt, & quantam ex eis omnes Patres intellexerunt, nempe veram & realem. Quid ergo est, cur nos abijciant vestri?

De proprietate autem naturæ humanæ in Christo, & ascensione eius in cœlos, ea credimus, quæ S. Patres, quotquot extant, tradiderunt, & scholastici secuti sunt. Cum his pugnant quidam vestrum. Dum autem illos Christianorum albo ob id non expungunt, cur non & nos in illo ferunt?

De hoc autem non dubitet D. T. Sententiam hîc quorundam partis vestræ, S. patres nequaquam tulissent. Id testantur illorum

lorum scripta. Nec dubito, si hæc de Eucharistia contentio non interuenisset, & illos nunquam in eam fuisse discessuros. Certè D. Martinus diuersa in Postilla docuit, libro suo optimo.

Quod autem D. T. scribit, rem molestam sibi videri, si ob sola verba sit dissensio, pium id animum testatur. Verùm istuc tamen olim vsuuenit etiam sanctissimis viris. Nostros autem hisce de rebus non loqui, vt antea fuit solitum, mirari D. T. non debet, vulgum credidisse pleraq; absurda, & pani tribuisse, quæ sunt Christi. Nostri certè initio tantum contra vulgi errorem scripserunt. Sed quia videbantur Carolstadio accedere, & à D. Luthero deficere, scripta in eos à Luthero, & alijs sunt: Quæ iure debuisse nostros confutare, in eo præsertim sensu, quo vulgus illa accipit, agnoscat olim D. T. cum omnibus Deum timentibus. Posteriora quoq; Lutheri & Brentij scripta purius de hoc mysterio, quàm priora, loquuntur. Vnde nihil insolens, ex posterioribus plus cordiæ cognosci. Sed visum Domino est, nos nunc sic conflitari: dies autem declarabit, vtri purius Christi gloriam asseruerint, & vtri Christum rectius fuerint imitari.

Huic equidem gratias ago, quòd dedit tentare, quæcunque villo modo ad concordiam factura speraui. Reliquum item, spero dabit, siue vita, siue morte testari, me hîc Christi sensum synceriter sequutum esse. Viderint illi, quem spiritum sequantur, dum nec colloquio dignantur, & multa impingunt, quæ nemo vera faciet. Tuam D. Christus, cum Illustris. Principibus, seruet & prouehat ad gloriam nominis sui, & donet, id olim in nobis, ac tota hac causa agnoscere, quod Christi est: Quod cum dabit, fatebimini, nos nihil perperam hîc credidisse, aut docuisse. Interca velim docti vestri tantum candoris haberent, vt non aliorum dogmatum & consiliorum nos insimularent, quàm scirent sequi. D. T. hæc boni consulat, Nouit enim Christus, me illa, nulla alia causa, quàm nominis Christi illustrandi scripsisse. In hoc feliciter valeat, & me sibi in Domino habeat commendatum. Augustæ 4. Augusti. Anno 1530.

D. T.

deditis.

Martinus Bucerus.

u 3

In

In Confessione etiam ciuitatum, Argentinae, Memmingae, Constantiae & Lindaniae, Cinglij dogma eo tempore sequentium, Imperatori Carolo paulò post in Comitijis illis exhibita, Articulum de Coena Domini ita composuit Bucerus, vt cum Lutheri sententia prorsus congruere quibusdam videretur.

DE hoc articulo ea apud nos traduntur & docentur, quae ab Evangelistis, D. Paulo & sanctis Patribus tradita sunt atque relicta, quaeque Ecclesiae Dei ac erudiendae multitudini in primis salubria & vtilia videntur, nempe, Dominum nostrum Iesum Christum, vt in vltima Coena discipulis suis, ita etiamnum singulis fidelibus & credentibus, iuxta verba institutionis ipsius: (Accipite, comedite, hoc est corpus meum: bibite ex hoc omnes, hic calix nouum testamentum est in meo sanguine) sacram Synaxin accedentibus, in hoc Sacramento verum corpus, & verum suum sanguinem, verè comedendum ac bibendum tradere, in cibum animae & vitae aeternae, vt illi in Christo, & Christus in illis maneat, atque ita fiat, vt in extremo die ad immortalitatem & vitam aeternam resuscitentur atque resurgant.

Summo etiam studio atque diligentia, vulgus à Sophisticis & non necessarijs disputationibus in hoc articulo abducitur, & ad diligentem earum rerum considerationem admonetur, quae in hoc negotio praecipuè profunt & ab ipso Christo sunt praescriptae, quòd scilicet eodem modo, quo à Christo saturamur, etiam cum eo in sancta, Deo placente & aeterna vita viuamus, vnusque panis & vnum corpus simus, siquidem omnes de vno pane in sacra Coena participamus. Quam etiam ob causam Sacramentum Coenae Dominicae summa deuotione & reuerentia in nostris templis administratur atque percipitur.

Haec cum ita sint, Clementissime Caesar, facile conijcere & intelligere Caes. M. V. potest, omnia illa ficta esse & e mentita, quae aduersarij maleuolo animo & nocendi studio aduersum nos effutiunt, nempe, nos verba Christi perperam interpretando, praeter nudum panem & vinum, in sacra Coena nihil relinquere, atque ita venerandum Sacramentum contemnere & administratione eius abrogare. Nos ediuerso pro vero affirmare non dubitamus, nostros

nostros concionatores populum diligenter erudire & monere, ut reiectis & sepositis omnibus humanis commentis & glossis, simpliciter & indubitato verbis Christi credat & fidem adhibeat, ac venerando Sacramento, iuxta Christi institutionem, ad nutriendam animam, gratiarum actionem & Redemptoris nostri memoriam recolendam summa deuotione sapissimè vtatur: id quod etiam hoc tempore frequentius & maiori animi deuotione fit, quàm antehac fieri consuevit. Præterea concionatores & apud nos in verbo Ministri, neq; hactenus subterfugerunt, neq; in posterum subterfugient, vt huius de Sacramento Coenæ, ita aliorum omnium Christianæ fidei articulorum rationem, non solum Cas. M. verum etiam omnibus alijs, in vera simplicitate fusiùs & vberius explicare atq; reddere.

Cùm autem nihil eo tempore concludi de Fraternitate cū Bucero & ipsius socijs incunda potuisset, & Bucerus constanter in eo perseueraret, suam & D. Lutheri sententiam in fundamento ac re ipsa conuenire, etiam si in phrasibus & formis loquendi dissimilitudo aliqua appareret: tandem visum est rectissimum, si Bucerus ipse ad Lutherum scriberet, & sententiam ipsi suam perspicuè explicaret. Eius scripti meminit Philippus in epistola ad Lutherum, cuius initium est: Per Cyriacum plura his verbis.

Bucerus scribit tibi περί της κοινιακού, & vult accedere ad nostram sententiam. Sentit adesse corpus Christi cum pane. Hæc summa est. Scripsi ei propositiones, sed certo consilio misit suas propositiones, 25. Augusti.

Respondit autem Lutherus in literis ad Philippum, quarum initium est: Utinam vos breui &c. his verbis.

Bucero nihil respondeo. Nosti ότι ἐγὼ μισῶ τὰς κυβίας καὶ τὰς πρυγίας αὐτῶν, οὐκ ἀρῶμαι μοι οὗτοι. Sic non docuerunt hactenus, nec tamen agnoscere aut pœnitere volunt, quin pergunt asserere, non fuisse inter nos dissensionem, scilicet vt nos confiteamur, eos rectè docuisse, nos verò falsò pugnas- se vel potius insanis- se. Sic Diabolus vndique nostræ Confessioni insidiatur quando vñ nihil potest, veritate superatus.

Nihilominus Bucerus, paulò pòst, ante Comitiorum exitum, præsciente Electore Saxonie & suo magistratu, ad Lutherum Cobergam profectus est, vt de pijs rationibus & medijs componendæ huius controuersie cum eo transigeret. Eadem de causa aliquantò pòst ad Oecolampadium & Cinglium se contulit. Sed varijs subinde interuenientibus remoris, actionis illius conclusio in sextum vsque annum dilata, & Vvittebergæ tandem concordia constituta est.

Eam formulam concordiae, etsi ad huius Augustani conuē-
tus Acta propriè non pertinet, tamen cū per breuis sit, & no-
stris etiam temporibus, renouata priore controuersia, pijs & cor-
datis, veritatem & pacem amantibus, viam concordiae piam & sa-
lutarem monstrare possit, cæteris Augustæ in hac causa susceptis
actionibus adiungendam esse putavi.

FORMVLA CONCORDIAE DE COENA DOMINI, ANNO

M. D. XXXVI. VVITTEBER-

GÆ INITÆ.

AVdiuimus Martinum Bucerum suam & cæterorum, qui cum
eo ex ciuitatibus venerunt, sententiam de Sacramento cor-
poris & sanguinis Christi hoc modo declarare.

Fatentur, iuxta Irenæi verba, in hoc Sacramento, duas res
esse, coelestem & terrenam. Sentiunt igitur & docent, cum pane
& vino verè & essentialiter præsens adesse, exhiberi & sumi cor-
pus & sanguinem Christi.

Et quamuis transubstantiationem improbant, nec senti-
unt corpus Christi localiter in pane includi, vel alioqui corpora-
liter cum pane vniri extra sumtionem Sacramenti: tamen faten-
tur & sentiunt, Sacramentali vnione panem esse corpus Christi,
hoc est, sentiunt & credunt porrecto pane verè simul præsens es-
se, & verè porrigi corpus Christi.

Nam extra vsum & sumtionem, cum panis seponitur & ser-
uatur in monstrantijs, aut in processionibus circumgestatur & o-
stenditur, sicut in Papatu, ibi non sentiunt Christi corpus adesse.

Secundò, sentiunt institutionem huius Sacramenti per
Christum factam, efficacem esse in Ecclesia Christiana, nec positā
esse in dignitate vel indignitate ministri, qui Sacramētum porri-
git, vel illius qui accipit. Quare, sicut Paulus dicit etiam indignos
Sacramentum manducare, ita sentiunt etiam indignis verè exhi-
beri corpus & sanguinem Christi, & indignos verè accipere, cū
institutio & mandatum Christi Domini seruantur. Sed tales ac-
cipiunt ad iudicium, sicut Paulus inquit, quia abutuntur Sacra-
mento, cum sine vera poenitentia & sine fide accipiant.

Idco

Ideo enim institutum est, vt testetur gratiam & beneficia Christi sumentibus applicari, & verè corpori Christi inferi, & sanguine eius ablui eos, qui pœnitentiam verè agunt, & fide in Christum se consolantur.

Cùm autem hoc tempore pauci nostrum conuenerint, & ad cæteros etiam concionatores & magistratus vtrique referri hanc causam necesse sit: nondum concludere hanc concordiam possumus, priusquam ad cæteros etiam retulerimus. Cùm autem hi omnes fateantur, se idem sentire & docere in omnibus articulis velle, quod in Confessione & Apologia Principum Euangelicorum expositum est: summopere cupimus & optamus, vt concordia erigatur. Quòd si cæteri ab vtraque parte hunc etiam Articulum sibi placere ostendent: planè confidimus, firmam & durabilem concordiam inter nos constitutum iri.

Subscriperunt

VVolfgangus Capito.

Martinus Bucerus.

Martinus Frechtus.

Iacobus Ottherus.

Geruasius Scholasticus.

Ioannes Bernardi.

Bonifacius Lycosthenes.

VVolfgangus Musculus.

Martinus Germani.

Matthæus Aulberus.

Ioannes Schradinus.

Martinus Lutherus.

Caspar Cruciger.

Ioannes Bugenhagius.

Philippus Melanthon.

Iustus Menius.

Fridericus Myconius.

EPISTOLA IOANNIS OE- **COLAMPADII AD PHILIP-** **PVM MELANTHO.**

NEM.

S. D. Gratia & pax à Christo.



Agis absentem literis interpellare tuā humanitatē,
 Melanthon ornatissime, haecenus non sum veritus,
 sed pristinae familiaritatis necessitudinem qualibet
 cunque tandem Epistolarum amicarum, si non eru-
 ditarum officijs conseruare studui. Quāto magis
 mihi temperare non possum, quin propiorem in salutatum relin-
 quam: & profecto id coram facerem, si quidem vel pericula nō p-
 hiberent, vel ab Ecclesia mea cōmodē abesse possem. Nihil enim
 tuo colloquio in terris gratius optatiusque euenire posset mul-
 tis certē nominibus, sed hoc potissimum, vt de rebus Ecclesiae fi-
 deliter tecum agerem, si possent ē medio tolli schismata quādā,
 nuper, non dico à quibus inuecta. Tum sanē iucundum mihi fo-
 ret, ex hac vita migrare, id, quod opinor, ex varijs meis literis ad
 te, accepisti, nisi fortē malo infortunio, nullae ad te peruenerint,
 quod suspicari licet ex perpetuo silentio tuo: nondum enim au-
 sim insimulare te, quem cuncti mansucto Christi spiritu praeclatū
 testantur, ita surrexisse supercilium, vt ἀτὰρ familiarium inaudi-
 tas, sine responso dimittas. Itaque satis mirari non possum. Opti-
 ma quaeque de te mihi polliceor, at ne verbo quidem spes fouetur.
 Vereor tandem futurum, vt sciam te amicitiae renūciasse. At quo
 pacto id facies, nisi & Christo valedicas, qui & ipse mihi κεφαλὴ
 Persuasum enim mihi, nullum ex membris illius, qui illum verū
 & Deum & hominem fatentur ac credunt, beneque erga omnes ea
 fide conspicuos affecti sunt, ab alijs membris, quae idem Spiritus
 vegetat, abijci posse. Neque in hoc falli potero, vtcunque fratrum im-
 becillitas, officij sui interdum parum memor est.

Non ignoramus hīc, quae ὁ τέκτωρ τοῦ ἀντιχρίστου οὐ περιδρομος,
 ἀλλὰ παρόντος κίρυξ istic fabricet philippica (de Macedone inquam,
 non de te, nostro verē candido) fraude, vt nobis primū negoci-
 um faciat, quod deinde & vos quoque inuadat. Sed ante oculos
 pennatorum frustra proijcit retia. Equidem non mediocriter coe-
 lestis

Iestis patris benevolentiae iudicium censeo, quod & tu in hoc pre-
claro Principum Germaniae cōuentu, amicis & pijs suggerere va-
leas, ea quae pacis, & quae in gloriam Christi. Proscribi cupit nescio
quos Sacramentarios. Scilicet illi fidei sinceritas cordi est. & hoc
pacto concordiae consulat, si crassius & loqui & sentire *περὶ τῶν
μυστηρίων*, quā par est, inculcarit. Interim crepat multas Sycophā-
tias, quasi nobis sit figura ac phantasma, nō veritas Christus, quasi
imbecillis, non omnipotens Christus, quasi vnicum angulum oc-
cupās, & nō vbiq; sit ac portet omnia verbo virtutis suae. Bellè sci-
licet, si distinctius de naturis vnius personae loquimur, idcirco al-
terā negare videamur: & si diuinitatem negemus passam in sua na-
tura, ideo cogamur negare etiā Christum Deum passum. & si asse-
ramus, corporeā Christi dimensionē & quantitatem non esse v-
biq; locorum, ideo inficiemur Christum, qui humana, quae semel
assumfit, nunquā dereliquit, non esse vbiq; locorū, non esse inter
duos & tres in suo nomine congregatos, nō esse in fidelium cordib.
Tales audio istic nostrae fidei interpretes ac calūniatores haberi.

At te oro per Christum, vt maledicorum hominum effrenē
licentiam, quatenus licet, apud pios remoreris, indicando, non
eō pertingere nostros sermones: imō addere hoc tutō poteris,
neutiquā nos boni cōsulere, si qs dicat, veluti Iudā, & pecus, nos
communē panem vel solū Sacramentū edere, *χάρις γὰρ τὴν ἀόρατον
μετὰ τῶν συμβόλων ὁρατὴν δίδωμέν τε καὶ λαμβάνομεν ὡς περ πάντες οἱ
πίστευ γεγενησμέναι ἀσθητήρια ἔχοντες*, Et planē contumelia Apo-
stolos affici semper diximus, si qs super eos solam igneam linguā
& signum Spiritus cōsedisse dicat, negans interim verē participes
gratiarū Sp. sancti: quāuis nequaquam sentire potuerim⁹, igneam
linguam esse substantiūē Spi. sanctū, sicut neq; statū: neq; dubito,
quin idē & vos catholicē affirmeris. Quid igitur hic tantū cōtro-
uersiarū? Vnde hēc iterū volui tibi indicata, vt ostēdere possis qui-
busdā, si ponāt contentiones, nō deesse viam, qua cōcordia pare-
tur Ecclesijs. atq; istis anathematissimis, exilationib⁹, ac fulmina-
tionibus, nihil proficitur. Interea tamē Deus suos non relinquet.

Porrō de Statu Ecclesiae Basiliensis, rumor cūcta nūciat, tametsi
pleraq; vanius. Vna re gloriāmur, ablatam discordem Christi prae-
dicationem, & quod Magistratus totus in hoc est, vt iuxta verbū
Christi quam purissimē sua plebs viuat, quicquid alij nugentur.
Cerrē nō est integrum expectare generale illud Conciliū, vt inte-

rim

rim conuincant ad plurimorum impietatem. Laborant item, vt gymnasium instaurent, literęque bonę cum pietate plantentur. Vale, Basileę prid. Cal. Aprilis, Anno 1529.

RESPONSIO PHILIPPI MELANTHONIS.



Liquot accepi tuas Epistolas, quę, quoniam extant in eis multę non obscurę significationes veteris tuę erga me beneuolentię & voluntatis in amicitia constantissimę, valde grata mihi fuerunt: Nam meus animus idem est erga te, qui fuit semper. Ego autem, admiratione doctrinę & virtutum tuarum incensus, semper & amaui te plurimum, & singulari quadam pietate colui. Atque utinam ea essent tempora, vt frui hac nostra amicitia possemus. Sed incidit horribilis dissensio de Cœna Domini, quę veterem consuetudinem officiorum, quibus inter nos certare solebamus, impediuit, beneuolentiam verò erga te meam non labefecit. Itaque si quid in me desideras officij, tempora magis, quàm fidem meam, accusare te velim.

Quod ad causam, quam agis, attinet, valde doleo ea de diffensionem exortam esse, quę à Christo ad glutinandam charitatem instituta est. Scis autem me hactenus magis extitisse spectatorem huius fabulę, quàm actorem. Et multas graues habui causas, cur non admiscuerim me tam odioso certamini. Interea nulla alia cura vllius rei animum meum magis exercuit, quàm huius negotij. Et non modo cogitavi ipse, quid in vtramque partem dici possit, sed inquisiui etiam veterum ea de reseruentias: Ego enim nolim alicuius noui dogmatis in Ecclesia vel autor, vel defensor existere.

Cùm omnia, quę in vtraque parte firmissima videntur, expendi, dicam pace tua, non tamen eo in sententiam tuam: Nullam enim firmam rationem inuenio, quę conscientię discedenti à proprietate verborum satisfaciat. Nihil autem ad hunc diem de hoc negotio scripsi, quia videbam futurum, quicquid scriberem, vt me allegari à Luthero tanquam domesticum testem, iniqui iudices dicerent. Nihil autoritatis in nostra sententia futurū erat,

erat, quia in alterius gratiam scripta videretur. Sed spero te melius de meis moribus sentire:

ἐχθρὸς γὰρ μοι κεῖνος ὁ μῶς αἰῶν ἀπὸ λησίων,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δ' ἐν πῶτι.

Qualiscunque enim sum, certè nunquam amaui Epicureos istos, cuiusmodi multi sunt hoc tempore, qui religionem irridēt, & quibus voluptati est, de maximis rebus homines fallere.

Semper, vt seīs, studiosus fui doctrinæ Christianæ: fuitq; ob eam causam mihi curæ, vt eam diligenter cognoscerem: nec sine paruo negotio, dum quæro, quid sequi tutò possim, extricavi me ex Scholasticis disputationibus, cuius rei nonnulla extant testimonia.

Quòd si gratiam aucuparer, non ignoro, quàm multos magnos & cruditos viros habeat vestra factio: horum amicitiam nō contemnerem. Itaque si mihi vestra sententia de Cœna Domini placeret, simpliciter profiterer.

Vos absentis Christi corpus, tanquam in Tragœdia, repræsentari contenditis. Ego de Christo video extare promissiones, Ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, & similes, vbi nihil est opus diuellere ab humanitate diuinitatem: proinde sentio hoc Sacramentum veræ præsentia testimonium esse. Quod cum ita sit, sentio in illa Cœna præsentis corporis κοινωνία esse. Cum proprietates verborum cum nullo articulo fidei pugnet, nulla satis magna causa est, cur eam deferamus. Et hæc sententia de præsentia corporis, conuenit cū alijs scripturis, quæ de vera præsentia Christi apud nos loquuntur: nam illa est indigna Christianis opinio, quòd Christus ita quandam cœli partem occuparit, vt in ea, tanquam inclusus carceri, sedeat.

Tu colligis absurda multa, quæ sequantur hanc sententiam. Colligis etiam quasdam veterum sententias, quæ pro te videntur facere. Sed absurda minùs offendunt eum, qui meminert de rebus cœlestibus, ex verbo Dei, non ex Geometria faciendum esse iudicium, qui que tentatus didicerit nullam esse rationem, quæ conscientiam satis docere possit, cum à verbo Dei discesserit.

In ijs locis, qui citantur ex veteribus, agnosco quandam esse dissimilitudinem, sed tamen ex his, si quis prudenter eligeret grauiss. autorum dicta, inueniet pleraque, quæ ostendunt hanc, quam

quam nos sequimur, veteris Ecclesiæ, quatenus nobis nota est, communem fuisse sententiam: tamen si tu quidem, homo disertus, quosdam locos nimis callidè interpretaris, & ad tuam causam detorques.

Veteres, cùm de resurrectione disputant, allegant Cœnam, nec ineptè, meo quidem iudicio: significauit enim Christus Apostolis, se resurrecturum esse, quia sui corporis *κοινωνία* instituit. Necesse enim erat, vt viueret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quòd si veteres sensissen tabscens corpus repræsentari, quomodo inde probarent resurrectionem? quia, etiamsi non resurrexisset Christus, tamen absens corpus, & consumtum repræsentari potuit, sicut in fabulis Hector repræsentatur. Sed non institui nunc disputationem: tantùm hæc scripsi, vt meam erga te beneuolentiam perpetuam cognosceres, neque tamen volui, quid sentiam, dissimulare: Te quæ rogo, vt consideres, quantam rem, quamque periculosam susceperis. Verum illud est, nimium altercando amitti veritatem: atque hæc multò magis periclitatur in his tam violentis concertationibus. Quare satius esset hac de realiquot bonos viros in colloquium vnà venire. Video quæ semina harum disputationū sparsa sint in veterum libris, sunt & in quibusdam nuper natis ante hunc tumultum.

Video causam vestram præsidij ingeniorum niti, & vos habere studia theatri, non tantùm manifesta, sed occulta etiam: quæ haud scio, an efficacius vobis suffragentur, quàm manifesta. Satis nota est mihi tua modestia: quare non arbitrabar opus, vt te admonerem, vt cogitares, homines ingeniosos & prudentes interdum labi posse. Et in negotijs Spiritualibus in primis periculosa est ingenij fiducia. Scis scriptum esse: Abominatio apud Deum est, quicquid est sublime in mundo. Et multo plures sunt, quàm putentur, qui tantùm ea amplectuntur in religione, quæ ingenijs eruere ac comprehendere potuerunt. Postremò te rogo, vt hanc

meam Epistolam, optimo atq; amicissimo scriptam animo, boni consulas. Vale. Spiræ, Anno

M. D. XXIX.

PAX

PAX RELIGIONIS INTER AVGVSTANAE CONFESSIONI AD- IVNCTOS ET PONTIFICIOS STATVS IMPE-

rij, in Transactione Passauiensi, anno M. D. LII. primùm

inita, & postea in Comitij Augustanis, Anno

M. D. LV. sequenti Decreto

sancita & promul-

gata.

NOS DEI GRATIA FERDINANDVS, Roma-
norū Rex, semper Augustus, Archidux Austriae, &c.
profitemur notumque facimus vniuersis. Quando-
quidem in omnibus Imperij Comitij, nec non ple-
risque alijs conuentibus, ab annis triginta & supra ce-
lebratis, de communi, firma & durabili Pace, inter S. Imperij or-
dines, in causa Religionis controuersa, erigenda, variet tractatio-
nes institutae, & deliberationes susceptae, aliquoties etiam Indu-
ciae factae fuerunt. Quae tamen ad pacem conseruandam minime
suffecerunt, nec impederunt, quod minus inter S. Imperij ordi-
nes assidue similitudines & dissidentia relinqueretur, quae non exi-
guis malis originem causamque praebuit: Et nisi, durante hoc Re-
ligionis dissidio, integra & plena Pacificatio tam religionis, quam
aliorum prophanorum ciuiliūque negotiorum ergo suscipia-
tur, omnibusque modis hic articulus ita tractetur & compona-
tur, ut vtriusque Religionis partes postea nominandae, scire que-
ant, qua erga se inuicem sint voluntate, & quid alterutri ab altero
sit expectandum: nec Status nec illorum subditi firmam cer-
tamque securitatem possint sibi polliceri, sed perpetuam de im-
minentibus grauissimis periculis sollicitudinem & curam dubij
sustinere cogantur.

Nos, ad periculosam hanc securitatis incertitudinem me-
dio tollendam, & Statuum ac subditorum animos in tranquillita-
tem & concordiam ac fidem mutuam restituendos, & Germaniam, pa-
triam nostram charissimam, a funestis dissensionibus atque interitu vin-
dicandam: cum Electorum Consiliarijs & praesentium Principum &
Statuum

Statuum depuratis, & absentium legatis & nuncijs, & illi vicissim nobiscum, vnanimiter consensimus & concordauimus.

Statuimus, ordinamus, volumus & mandamus, ne post hac quisquam, cuiuscunque dignitatis, status aut conditionis fuerit, vlla omnino de causa, quocunque illa nomine appelletur, vel quocunque tandem prætextu, alterum bello inuadere, spoliare, capere, infestare, obsidere, neque ad hoc vel per seipsum, vel per alium suo nomine, auxilium ferre, nec vllam arcem, oppidum, munitionem, pagos aut villas, clandestino introitu vel vi manifesta, altero inuito petulanter occupare, aut incendio, vel alio quouis modo deuastare, neque talia conantibus consilium, operam, aut vlla ratione auxilium & opem ferre, nec eos scienter ac dolose hospitio vel in suam domum recipere, victum ac potum præbere, sustentare aut retinere ausit: Sed vnusquisque alterum vera beneuolentia & Christiana charitate complectatur, nec vllus status, siue membrum S. Imperij, alteri, qui competenti loco se iuri offert, liberam importationem commeatus, victum, negotiationem, redditus, census & alios proventus intercipiat aut prohibeat: Verùm Cæs. Maiestas & Nos, omnes Status, & vicissim Status, Cæsaream Maiest. & Nos, nec non quilibet Status alterum, in hac sequenti, tam Religionis quàm per communem & solennem constitutionem erecta publica PACE, omnibus modis inuiolatum relinquat.

Vt autem hæc PAX, etiam in controuersæ religionis causa, sicut ex paulò antè recitatis rationibus, summa totius S. Imperij Germanicæ nationis necessitas efflagitat, eò firmitus & stabilius inter Cæsaream Maiestatem, Nos, & Electores, Principes ac Status S. Romani Imperij constitui, confirmari & conseruari possit: Cæsarea Maiestas, Nos, Electores etiam, Principes & Status S. Imperij Rom. nullum Statum Imperij, propter Augustanam confessionem, eiusdemque doctrinam, Religionem, ac fidem de facto violenta manu inuadere, oppugnare, lædere, opprimere vel alia ratione contra ipsius conscientiam & voluntatem, ab hac Augustanæ Confessionis religione, Fide, ritibus Ecclesiasticis, ordinationibus & ceremonijs iam institutis, aut postea instituendis, in ipsorum Ducatibus, territorijs & dominijs auocare & depellere debemus, nec mandatis vel vlla alia ratione molestiam exhibere,

bere,

bere, aut contemnere: Sed in hac Religione, fide, ritibus, ordinationibus ac ceremonijs, atque etiam in suis possessionibus, bonis mobilibus & immobilibus, prouincijs, subditis, dominijs, iurisdictione, dignitate ac iure, quietè & tranquillè relinquere debemus. Nec controuersa religio aliter quàm pijs, amicis & pacificis medijs & rationibus, ad vniformem & Christianam concordiam redigi debet. Quæ omnia Nos, Cæsarea & Regia fide, & Principes ac Status cæteri veraciter & sub pœna pacis publicæ, religiosè seruabimus.

Econtrà Status Confessioni Augustanæ addicti, Cæsaream Maiestatem, Nos atque Electores, Principes, aliosq; Imperij Status, antiquæ Religioni adhærentes, Ecclesiasticos & politicos, eorumque Capitula, & cæteros Ecclesiasticos quocunque loco residentes aut degentes (dummodo in constituendis ministerijs seruetur, quod infra peculiari articulo cautum est) pari ratione, in sua Religione, Fide, ritibus Ecclesiasticis, ordinationibus ac ceremonijs, nec non possessionibus, bonis mobilibus & immobilibus, prouincijs, subditis, Dominijs, superioritatibus, dignitatibus & viribus, perceptione reddituum, censuum, decimarum, imperturbatos relinquent, ijsque tranquillè & pacificè vti, frui, & sine recusatione solui sinent, fideliterque ea in re eos iuuabunt: nec quicquam de facto aut alioquin iniuste contra eos suscipiēt, sed iuxta dispositionem ordinationum ac decretorum S. Imperij, pacisque publicæ, ab vtraque parte, in ordinaria Iuris cognitione & decisione, acquiescent: sub fide ac dignitate Principali, veritate dicenda, & pœna in constitutione de pace publica comprehensa.

Omnes verò alij, non alterutri ex duabus memoratis Religionibus adhærentes, in hac pace non compræhensi, sed prorsus ab ea exclusi esse debent.

Cumque in constituenda hac pace Religionis inter alia motum fuerit, si Ecclesiasticorum vnus vel plures à veteri religione discessuri essent, quid de Archiepiscopatibus, Episcopatibus, Prælaturis ac beneficijs, quæ eousque possedissent, seruari debeat: De quo vtriusque Religionis Status inter se conuenire non poterunt: Ideo Nos, vigore mandati Cæsareæ Maiestatis, ac potesta-

ris nobis factæ, declarauimus ac constituimus, idq; in præsentia scientes facimus hoc modo:

Si Archiepiscopus aliquis, Episcopus, Prælatus vel alius quispiam ordinis Ecclesiastici, à nostra antiqua religione discessurus est, vt ille suum Archiepiscopatum, Episcopatum, Prælaturam & alia beneficia, cum omnibus fructibus & prouentibus, quos inde percepit, statim sine vlla recusatione & mora (saluo tamen ipsius honore & existimatione) resignet & relinquat, & capitulis, aut ijs, quibus id Iure communi, aut de consuetudine Ecclesiarum & Collegiorum debetur, alium, antiquæ religioni adhærentem eligere & ordinare liberum sit. Qui vnà cum capitulis Ecclesiasticis, alijsq; Ecclesijs, iuxta Collegiorum & Ecclesiarum foundationes, electiones, præsentationes, confirmationes, veteres consuetudines, iura & bona mobilia ac immobilia, sine vlllo impedimento, quietè retinere permittatur: citra tamen præiudicium piæ & amicæ concordie de Religione in posterum faciendæ.

Quia verò nonnulli Status, eorumq; prædecessores, quædam Collegia, Monasteria & alia Ecclesiastica bona occuparunt, eaq; in Ecclesias, Scholas, & pias, & alias causas conuerterunt: placet, vt bona illa Ecclesiastica, ad eos, qui immediatè Imperio subiecti, eiusdemq; Imperij Status sunt, non pertinentia, & quorum possessionem Ecclesiastici, tempore transactionis Passauiensis, vel postea, non habuerunt, sub hac pacificatione, simul comprehendantur atque includantur, vt eodē loco & ordine, sicut quilibet Status de ijs disposuit, maneat: nec vllus Status, eorum bonorum nomine, in iudicio vel extraiudici aliter, constantis & perpetuæ pacis conseruandæ causa, conueniri possit.

Mandamus ergo ac iubemus, vigore huius decreti, Cæsareæ Maiestatis Camerae Iudici & assessoribus, ne horum occupatorum alienatorumq; bonorum causa, vllas citationes, mandata, siue processus decernant.

Ac vt vtriusq; religionis consortes firmiore pace ac securitate, vnà habitare & manere, inuicemq; conuersari possint: Ecclesiastica iurisdictio (Electorum tamē Spiritualium, Principum, Statuum, Collegiorum & Monasteriorum redditibus, prouentibus, decimis, feudis cæterisq; iuribus, vt supra dictū est, saluis) in

Augusta.

Augustanæ Confessionis Religionem, fidem, constitutionem ministrorum, ritus Ecclesiasticos, ordinationes, ceremonias, tam constitutas quàm constituendas, priusquam plena & integra Religionis concordia restituta sit, exerceri extendique non debet: quin potius illorum religioni, fidei, ritibus, ordinationibus, ceremonijs & ministerijs (vt deinceps peculiari capite agetur) libertas sua, sine vllò impedimento relinquatur, quiescente interim & suspensa Iurisdictione Ecclesiastica, tantisper, donec, vt prædictum est, plena & integra Religionis concordia fuerit restituta. In cæteris verò casibus, Augustanæ confessionis religionem, fidem, ritus, ordinationes, ceremonias, ministeria non concernentibus, poterit & debet iurdictio Ecclesiastica, per Archiepiscopos, Episcopos, & reliquos Prælatos, prout quisq; eam in possessione vsuq; habet, liberè exerceri.

Etsi autem statibus antiquæ religionis, omnes ipsorum redditus, census, decimæ, vt suprà constitutum est, relinquuntur: tamen cuilibet statui, sub quo redditus illi, census, decimæ, vel bona sita sunt, in ijsdem bonis, sua politica superioritas, ius & iurdictio, quam ab initio harum dissensionum de religione in illis habuit, atque exercuit, relinqui, nec prætextu huius constitutionis de ea quidquam diminui debet. Interim verò, quæ de istis bonis olim ad ministeria Ecclesiarum necessaria, parochias & scholas item ad Eleemosynas & hospitalia, quæ curare ab antiquo tenebatur, collata sunt, deinceps quoq; , nulla habita dissidentis religionis ratione, conferentur.

Exorta autem super his rebus dissensione, qualibet parsvnam & alteram pacificam personam, amicè dirimendæ litis causa eligent, & si illæ inter se non consentiant, adiungent arbitrum superiorem neutri parti addictum, qui summarie cognita causa, intra sex menses dijudicabunt, quid, quantumue pro sustentatione ministrorum, Ecclesiæ, scholæ, & pauperum, conferri oporteat. Verùm qui hoc nomine conuenitur, ante dijudicationem causæ, modo præscripto, possessione sua non spoliari, nec arresto inhiberi aut grauari debet. Nihilominus verò ij, quorum sunt redditus, census, decimæ, & bona, de quibus olim ministeria Ecclesiarum sustentata fuerunt, & quibus tale onus impositum fuit, ad constituenda ministeria illa, vsque ad causæ decisionem conferent, quæ olim conferre soliti fuerunt.

Porro nulli Status, alios, eorumq; subditos, ad suæ religionis professionem cogent, vel à priori domino abducent, vel contra suum magistratum in tutelam defensionemq; vlla ratione suscipient. Quibus verò olim protectione & tutela aliorum dominorum vti ius fuit illis nihil præiudicatum hac sanctione volumus, nec ad eos hæc Constitutio pertinebit.

Si autem Nostri, vel Electorum, Principum ac Statuum subditi, tam antiquæ religioni, quam Augustanæ confessioni adherentes, Religionis causa, ex Nostra, vel Electorum, Principum ac Statuum S. Romani Imperij prouincijs, ditionibus, ciuitatibus, oppidis, vnà cum suis vxoribus & liberis in alia loca concedere, ibique habitare velint: Illis hoc, quemadmodum etiam distractio suorum bonorum, dummodo pro cuiusq; loci vsitata consuetudine, quod ratione subiectionis & discessus debetur, soluant, sine vllius impedimento, & absq; vlla honoris sui diminutione, concessum, liberumq; erit. Nihil tamen vlli Magistratui, de suo iure proprietario, quod habet, & vt de eo cedat vel non cedat; detractum esse volumus.

Et quoniam concordia & consensus Religionis & fidei, iustis & legitimis medijs quæri debet, & sine firma & constanti pace ad piam & amicam compositionem Religionis commodè perueniri nequit: Nos & Electorum Consiliarij, Electorum loco, præsentibus Principes, Status, & absentium legati tam Ecclesiastici quam politici, publicæ tranquillitatis & salutis causa, vt perniciosas animorum distractiones & diffidentiam ex Imperio tollamus, & laudatissimæ huius nationis imminentem interitum arcuamus, ac vt eò maturius controuersia Religionis ad Christianam concordiam reduci possint: hanc PACEM, in omnibus suprà scriptis articulis, vsque ad piam, amicam & integram cõtrouersiarum religionis compositionem, perpetuò, firmiter, inuiolatèq; seruare & sequi vñanimitè decreuimus.

Quòd si talis compositio & concordia, per vias generalis vel nationalis Concilij, colloquiorum, vel tractationes conuentuum imperialium, obtineri non poterit: nihilominus tamen hæc inita Pax, in omnib. enumeratis punctis & articulis, vigorem suum, donec tandem de religione conueniat, retinebit. Atq; sic prædicto, omnibusq; alijs modis, constans, durabilis, immota, perpetuaq; & æterna pax, constituta & rata manere debet.

Eadem

Eadem pace liberam Nobilitatem quoq; , Cæsareæ Maiestati & Nobis immediatè subiectam , comprehendi & includi volumus , ita vt supradictæ alterutrius religionis causa , à nemine oppugnari , molestari vel grauari debeat.

Postquam verò in multis liberis & Imperialibus ciuitatibus , vtraq; religio , nostra nimirum antiqua , & Augustanæ Confessionis Religio , proximis annis vsitata fuit : deinceps quoq; retineri debet in iisdem ciuitatibus , quarum ciues atq; incolæ , tam Ecclesiastici quàm Politici , pacificè & tranquillè cohabitabunt , nec vna pars alterius religionem , ritus & ceremonias abrogare , aut quenquam cogendo inde abducere tentabit : sed quilibet alterum , iuxta tenorem huius Pacificationis , in sua religione , fide , ritibus , ordinationibus & ceremonijs , non minùs , quàm in possessione suarum facultatum , ac in cæteris rebus , sicut superius de vtriusq; religionis statibus ordinatum constitutumq; est , imperturbatum relinquet.

Omnia verò , in prioribus Imperij decretis & ordinationibus comprehensa & statuta , quæ huic Paci , in omnibus suis punctis & articulis aduersari , vel contra eam detorqueri possent , nihil omnino huic Paci derogabunt aut detrahent , nec vlla declaratio vel aliud , quod eam impedire vel mutare posset , dari vel admitti , ac etiam si daretur , impetraretur vel reciperetur , tamen inutilis & nullius momenti esse , neq; in iudicio siue extra iudicium secundum illam quicquam moueri vel pronunciari debet.

Prædicta vniuersa & singula , in quolibet articulo expressa , & Cæsaream Maiestatem & Nos concernentia , debemus & volumus Cæsareæ Maiestas & Nos , Cæsareæ & Regiæ fide , pro nobis & nostris successoribus , perpetuò inuiolatè & sanctè seruare & exequi , iisdem firmiter absq; vlla recusatione insistere , nec vlllo tempore , nunc vel in futurum , siue ex plenitudine potestatis , siue quocunq; alio prætextu , in contrarium quicquam facere , agere , vel mandare , neq; cuiquam alijs Cæsareæ Maiestatis vel Nostro nomine faciendum permittere.

Et nos Electorum Consiliarij , Electorum nomine , & pro ipsorum successoribus & hæredibus , Nos præsentis Principes , Prælati , Comites , & Barones , absentiumque Principum , Prælatorum , Comitum & Baronum , atque S. Imperij liberarum & Imperialium ciuitatum legati & mādatarij , loco & nomine nostro-

rum dominorum & superiorum, & pro ipsorum successoribus & hæredibus, consentimus & promittimus, sub Principali dignitate, bona & sincera fide, & per verbum veritatis, sine dolo & fraude, quantum vnumquemque concernit vel concernere potest, omnia prædicta perpetuò, firmiter, sanctè & inuiolatè seruare, eademq; fideliter & sine vlla recusatione exequi velle.

Præterea obligamus & deuincimus nos ab omni parte, quòd Cæsarea Maiestas, Nos, nullusq; statuum, alterum, quocunque prætextu id fieri possit, de facto aut vlllo alio modo, siue clàm siue palàm, per nos vel per alios nostro nomine, inuadere, violare, opprimere, debellare, cogere, lædere, inquietare debeamus neq; velimus.

Et si alterutra pars vel status, alteri (quod tamen fieri minime debet) nunc vel in futurum, de facto clàm vel palàm vim intulerit: Cæsarea Maiestas, Nos, & illi, nostriq; ac illorum successores & hæredes, tali casu, non modò auctori iniustæ violentiæ nullo consilio, ope vel auxilio adesse, verum alteri parti, quæ contra hanc Pacificationem violatur & oppugnatur, aduersus violatorè, aut de facto aliquid conantem, opem & auxilium ferre volumus & debemus. Omnia fideliter & sine calumnia.

Mandamus etiam ac præcipimus, vigore huius Imperialis Decreti, Cæsareæ Cameræ Iudici & Assessoribus, vt huic Pacificationi conformes se in Iure dicendo gerant, & petentibus partibus, sine respectu personarum, vtramvis de prædictis religionem partes sequantur, necessarium ac debitum auxilium ferant, iusticiamq; administrent, nec aduersus hæc vniuersa & singula in his

Pacificationis articulis expressa, vlllos processus aut

mandata decernant, nec alio quouis

modo agant aut mo-

liantur.

F I N I S.

INDEX